Gebhard · De Plutarchi in Demosthenis vita fontibus · 1880 ·

DE PLUTARCHI

IN

DEMOSTHENIS VITA FONTIBUS AC FIDE.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE UNIVERSITATIS MONACENSIS RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

FRIDERICUS GEBHARD,
MONACENSIS.

MONACHII.
TYPOS CURAVIT H. KUTZNER.
MDCCCLXXX.

Abhinc sex annos prodiit Gottingae A. F. Roesigeri 'de Duride Samio Diodori Siculi et Plutarchi auctore' inscripta dissertatio. Qua cum Demosthenis vitam Plutarcheam Duridis Samii et Demetrii Magnetis niti auctoritate ille iam exposuerit, operam supervacaneam et inutilem suscepturus hominibus literatis videar. Atque vero, quamquam illi ea, quae in disputatione tractanda sibi proposuerat, et copiosius et accuratius explicanda fuerunt, equidem de ea vix iterum dissererem, si quas ille rationes secutus est, veras et probatas esse perspexissem. At rationibus quibusdam recentiorum hominum doctorum, si recte adhibentur, verissimas, temere confisus sprevit ille Plutarchi vestigia accurate legere et vel proximos fontes examinare, immemor eius, quod iam Ruhnkenius praecepit, ut sui quemque scriptorem optimum interpretem esse statueremus. Inde factum est, ut, quod praeoccupato iudicio ad commentationem suam accessit, omnino nihil fere eorum, quae protulit, stabile sit aut certum.

Itaque denuo hanc causam aggressus sum, qua in re eam rationem sequi est mihi in animo, ut primum, Roesigeri quam futilia sint et falsa argumenta, comprobem, deinde, quid ipse invenerim, proponam, postremo quae fides huic vitae sit tribuenda, breviter perstringam. In refutandis autem Roesigeri causis si forte acerbius egisse videar, precor, ne hoc mihi crimini vel insolentiae vertatur, sed sibi quisque persuadeat velim me, quaecunque protulerim, veritatis amore et sincerissimo studio adductum dixisse.

Ac primum quidem de fundamentis, quibus Roesiger nititur, animadverti haec. Quaeritur nimirum, quomodo facillime Plutarchi fontes primarii possint investigari. Nam id quod maximo commodo ad fontes aperiendos esse quis dicat, ut ab ipso audiamus, quibus usus sit, raro accidit; quin etiam cum multi scriptores afferuntur, caveamus oportet, ne eos omnes ab eo perlectos esse censeamus. Fieri enim potest, ut eos ipsos silentio praetereat scriptores, quos fidelissime secutus est, et si qua auctorum nomina

afferuntur, ea in fontibus primariis inventa sint. Necesse igitur est aliam quaestionis viam ingredi, ut eliciamus, quibus scriptoribus plurima, quibus parvas narratiunculas debeat.

Atque re vera, ut Roesigeri rationem accipiamus, Plut. saepe, quos potissimum scriptores adierit, ipse detegit iis obloquendo. Quod minime mirum; nam qui complures fontes excusserit, saepe, quin alicuius auctoris testimonium refellat, facere non poterit. At plane aliter R., qui credere nos iubet Plutarchum calumniandi ardore et nativa quadam malignitate ductum in testes suos invehi. Neque enim contendit Demetrium Magnetem, quo loco a Plutarcho vituperatur, praeter alios adhibitum; sed tamquam cum pulvisculo omnibus ceteris eiusdem rei auctoribus abiectis exhaustum esse; nam similiter in aliis vitis fontes primarios, postquam excerpti essent, severe reprehensos esse. At quis tandem credet aliquem de aliqua re iudicare posse, nisi eius rei, quam recensiturus est, habet interiorem scientiam? praeterea res prorsus aliter se habet. Constat enim Plutarchum virum magna et doctrina et morum integritate praeditum rerum narrationi verae ac sincerae ubique studuisse; et quisquis accurate eius libros examinaverit, facile intelleget eum, ubicunque alias opiniones infringit, ex plurium scriptorum notitia et collatione, ne dicam omnium quos laudat, at plurimorum, ac potissimum ex interiore viri, quem celebrat, cognitione sibi comparavisse iudicium.

Quod ut nonnullis exemplis doceam, Hermippum ad Solonis et Lycurgi vitas perscribendas eum praecipue adhibuisse certum est; sed ubi locorum huic obloquitur, quid ei opprobrio dat? Sane quidem Phylarchum, quem in vitis Arati, Agidis, Cleomenis sequitur, reprehendit; sed quid ei reprehensione dignum visum est? Sintenis (ausgew. Biogr. II p. 6) tuetur suo iure Plutarchi in eligendo iudicium; nam quod propter πάθος bis in acerrimam censuram vocaretur, elucere ex ea re Polybium quoque comparandi et corrigendi causa adhibitum esse.

Idem si in Niciae initio Timaeo 'plagas probe vehementes infligit', quattuor praeter hunc scriptores attulerat [1]), ut bene perspicere posset, quanti ille aestimandus esset. Porro cum Duridem in Pericl. vitae c. 28 carpat, 'postquam eius excerptionem modo absolvit' manifestum est eum aliis fontibus collatis, quousque huic credendum esset, non fugisse. Neque vero H. Sauppe, vir cautissimus in sententiis proferendis, quicquam aliud de Duride ad vitam Periclis adhibito voluit probare, nisi eius peculiarem

[1]) Wilh. Fricke 'Untersuchungen über die Quellen des Plutarchos im Nikias und Alkibiades', Leipz. 1869.

librum Ὧροι Σαμίων inscriptum illic et paullo antea nonnunquam ad res Samias describendas a Plutarcho excussum esse.[1])

Tantum igitur abest, ut Plut. calumniari consuevisse videatur, ut appareat eum nisi diversis fontibus examinatis neminem unquam auctorem exagitasse.

Consequens est, ut ipsis verbis κομιδῇ φλυαροῦσι (c. 30) quaerere iubeamur, quibus fontibus nixus tam acerbum de Demetrio Magnete, quem quidem illud contendisse elucet ex Pspl. p. 847a, tulerit iudicium. Ceterum Roesiger ipse sibi adeo non constat, ut re vera Plutarchum alium praeter hos duos scriptores ante oculos habuisse credat. Dicit enim quasi obiter (p. 37): 'cum autem mortem Demosthenis ad Satyri narrationem accommodaverit, ad quem etiam alibi se iunxit, sequitur eum praeter Satyrum Demetrium in manibus habuisse eique permulta debere'. Quid si mutata sententia dicamus eum praeter Demetrium, quem quidem convicio addito abicit, Satyro permulta debere? Nam Satyro quidem nusquam adversatur, quamquam eius libris saepius, velut ad Alcibiadis vitam (Fricke l. m. p. 49 sqq.) et nisi fallor ad alias quoque vitas usus est.

Quin imo constat Plutarchum singulari sagacitate fidissimum quemque verique studiosissimum scriptorem perscrutatum esse, fide indignos et calumniatores raro secutum esse. Qua de causa — id quod infra demonstrabo — et Duridem, cui parvam fidem habuit, et Idomeneum Lampsac., quem hominem maledicendi cupidissimum esse cognoverat, raro respexit.

Quid ergo, quoniam Plutarchum tum ipsum, cum alicui scriptori obloquitur, plures fontes inter se comparavisse atque omnino suum sibi iudicium ubique servasse apparet, num ei illi loci, quibus in Theopompum (c. 13, 18, 21) et Aeschinem (c. 22) invehitur, abiudicandi sunt? Nam quam maxime mirum est, quod Roesiger ad hos legem illam non rettulit. Denique dubium non est, cuius ex stilo fluxerint haec: μοι δοκεῖ c. 12, οὐκ ἄν μοι δοκοῦσι ibid., ὅθεν οὐκ οἶδ' ὅπως παρέστη Θεοπόμπῳ λέγειν c. 13, ὡς γράφει καὶ τραγῳδεῖ Θεόπομπος c. 21, ἐγὼ δ' οὐκ ἂν εἴποιμι c. 22, ταῦτα μὲν εἰπεῖν προήχθημεν c. 22 extr., ut praetermittam etiam illa δοκεῖ c. 4 similesque voces magnam partem, illa φαίνεται c. 13 et 14, φανερὰ ἦν c. 16 omnia Plutarcho esse adiudicanda, quod infra in clara luce ponam.

At, dixerit aliquis, operam perdis! nam Roesiger sagacissime indagavit Plutarchum sibi non constare, non semel sibi obloqui, ergo iudicii sui compotem non esse. Concedo Plutarchum nonnunquam sibi deesse;

[1]) H. Sauppe 'die Quellen Plutarchs für das Leben des Pericles', Abh. d. k. G. d. W. z. Gött. XIII.

sed quicquid ille hac in re detexisse se credit, falsum et commenticium est. Neque enim Duris Demostheni favit aut Demetrius de eo detraxit, sed contrarium certum est; praeterea etiam omnes ceterae, quas ille statuit, diversitates corruunt, dummodo scriptoris verba recte interpretemur. Sed de his infra dicendum erit.

Nunc enucleare in animo est, quo factum sit, ut R. Plutarchum consilii plane expertem ad hanc vitam condendam aggressum esse statueret?

'Ut vero, ait p. 35, talium locorum (!), qui nulla re magis splenderent quam coacervata multitudine testimoniorum, auctores excuterentur, homines docti duplici ratione verissima uti solent. Aut enim aiunt eum usurpatum esse, qui aetate omnium postremus esset aut aliquem ei supparem scriptorem'.

Habetis eius πρῶτον ψεῦδος; deceptus hac quam verissimam dicit ratione ad ultimum eorum, quos Plut. nominatim affert, scriptorum sive ad Demetrium Magnetem et ad aliquem supparem defertur sive ad Duridem Samium.

At nemo adhuc praeter Roesigerum contendit hanc rationem verissimam esse et in omnes Plutarchi vitas cadere, licet quibusdam locis nonnunquam usui sit.

Romanorum vitas excipio. Clason et Peter quidem censuerunt in Galbae, Othonis aliorum nobilium Romanorum vitis Plutarchum uno plerumque fonte usum esse, quod et reliqui viri docti, qui in hac re versati sunt, comprobant; neque id mirum, nam Plut. ipse in vit. Demosth. c. 2 fatetur, quantis cum molestiis sermonem latinum didicerit.

Contra in singulis vitis Graecorum ei plures fontes ad manus fuisse neque eos secundarios sed uberrimos omnes recentiores homines docti consentiunt.

Ita vitam Solonis Henr. Begemann [1]) Hermippi et Didymi ad auctoritatem, vitam Lycurgi Gilbert [2]) ad Hermippi et Ephori revocavit, in vitis Niciae, Alcibiadis, Lysandri Fricke, cuius dissertationem supra commemoratam Roesiger bis attulit (p. 47 et 51) ita ut ille plane huius sententiam praemunivisse videatur, non modo non unum vel duos aliquos fontes Plutarchum compilasse putat, sed in Nic. vit. quinque, in Alcib. octo, in Lys. tres auctores invenit, quamquam mihi quidem multa in his Satyro, ultimo laudatorum scriptorum, debuisse videtur.

Item omnes reliqui, qui in Plutarchearum vitarum fontes inquisiverunt, censuerunt Plutarchum plures scriptores comparasse neque quemquam eorum, ex quibus aliquid profecturum se esse sperabat, sprevisse.

Ceterum, etiamsi in omnibus ceteris vitis Plutarchum paucos fontes

---

1) Begemann 'Quaestiones Soloneae' spec. I., Holtesmindae 1875.

2) Gilbert 'Studien zur altspart. Gesch.', Göttingen 1872, p. 97 ff.

adhibuisse exploratum esset, tamen in vita illustrissimi oratoris, cuius orationes in omnibus tum ludis legebantur summoque studio tractabantur, libro ipso accurate exquirendo examinandum erat, si forte latius solito circumspexerit et num quae vestigia exstent, quibus Plutarchum ex perlectis ipsius oratoris libris fructus cepisse appareat.

Haec erant de Roesigeri principiis praemittenda. Quoniam autem probavisse mihi videor, Plutarchum in eligendis scriptoribus non suo arbitrio indulsisse, sed optimum et fidissimum quemque scriptorem deterioribus praetulisse, non iam difficile est reliqua quoque argumenta illius diluere, praesertim cum eodem, quo illa principia, vitio laborent, ut illata neque e libro derivata sint. Atque primum quidem falsum est, Demetrium Magnetem Demosthenis magnitudinem imminuere studuisse, quod ut intelligas, animum quaeso ad haec attendas.

Duobus locis Demetr. Magnes nominatim affertur (c. 15 et c. 27). Quod enim Roesiger putavit cap. 14 quoque huius testimonium exstare compluribus causis probare nequeo. Nam c. 10 et 11 Demetr. Phalereum afferri vidimus, Magnes vero primum c. 15 toto nomine additoque libro, quo illud scriptum erat, nominatur. Deinde mihi persuadere non possum, Plutarchum Magnetem auctorem rei illo capite memoratae usurpare conatum esse; nam accurate probabo Plutarchum et in Demosthenis vita rationem, quam Cim. c. 2 praedicavit, secutum honeste facta libentissime auctore non addito exscribere, turpiter commissa nunquam nisi pluribus fontibus iisque aequalibus adhibitis literis consignare. Itaque dubium non est, quin Demetrio Phalereo in re tam ignominiosa aures praebuerit; quippe quem Demostheni familiarem fuisse haud ignoraverit (cf. c. 11 init.); Magnetem certe respuisset (cf. c. 30 extr.).

Ceterum ut concedamus Magnetem illic inspectum esse, quod quidem Roesigero ipsi p. 36 nondum perspicuum esse videtur, Roesiger hoc loco vehementer erravit. Etenim cum diversa in Demosthenem studia probare studeat, repperisse se opinatur magnum diversorum fontium documentum collatis cum Demetrii tum his extremis verbis: ἐπεὶ τούς γε καθ' αὐτὸν ῥήτορας καὶ τῷ βίῳ παρῆλθε c. 14 med., cum eis, quae c. 13 in laudem Demosthenis dicta essent. Nam cum Plut. Demosthenis mortem c. 13 testimonium constantiae esse scripserit, flagitari c. 14 in. — ubi Demetrius autor nominetur — vix credibile dictu, eandem mortem ut signum turpitudinis esse credamus. Etenim Demosthenem ad laudandas maiorum res praeclaras aptissimum dici, ad imitandas haud accomodatum, 'id quod e morte eius cognoscatur: ἐπεὶ τούς γε . . κ. τ. λ.'

At falsa interpretatione verborum, quae modo attuli, diversitatem indagasse se credit; interpretatur enim nisi fallor particulam ἐπεὶ = nam, et verba τῷ βίῳ παρῆλθε = superstes aequalium oratorum erat, eo facilius in errorem ductus, quod in cap. 13 et 14 res continuas referri non intellexit. Sed nexus sententiarum c. 13 extr. c. 14 init. hic est: Panaetius laudi tribuit Demostheni, quod eius orationes ita pleraeque scriptae essent, ut solam per se honestatem expetendam esse eum censuisse appareret, eumque et civibus suis antecellere iubentem eos honestati et decori securitatem salutemque postponere. Cui argumentorum praestantiae et orationum nobilitati si fortitudo quoque bellica inque agendo integritas accessisset, cum non in numero aequalium, sed in superiore loco cum Cimone, Thucydide, Pericle collocandum fuisse. Atque Phocionem quidem his nobilissimis Graecis virtutis laude non cedere, Demosthenem autem neque in armis satis laudatum neque adversus corruptelas munerum satis undique munitum, praeclarum quidem laudatorem virtutum, quibus maiores clari facti essent, fuisse, sed eas imitando nihil valuisse. Tum pergit: Quamquam (ceterum) (cf. Wyttenbach lex. Plut.) aequales oratores (Phocionem excipio) vitae quoque laude vicit, sive ut pluribus verbis interpreter: non solum orationibus (c. 13 extr.) aequalibus praestitit, sed etiam vita. Quocum egregie conveniunt, quae ab aliis scriptoribus de aequalibus oratoribus commemorantur. Ergo hoc loco diversitas iudicii est nulla. Neque intellego equidem, quomodo voces: ὥστε θεραπεύεσθαι ὑπὸ τοῦ μεγάλου βασιλέως c. 12 et τῷ δ' ἄνωθεν ἐκ Σούσων κ. Ἐκβατάνων ἐπιβατὸς χρυσίῳ κ. κατακεκλυσμένος c. 14 inter se repugnent (Roesig. p. 41).

Nunc etiam magis perspicuum esse puto non Magnetis illo loco testimonium afferri, sed eius qui Demostheni aequalis erat, Phalerei, cui sententiae Schaeferum quoque assentiri video (Dem. u. s. Z. III 1, 135).

Itaque quoniam probasse me credo, hoc quem tractamus loco de Magnete cogitari non posse, et tantum abesse, ut Plut. secum pugnet, ut contra argumento par sit, supersedere possum opera explicandi verba (c. 27 extr.) certe ex Magnete desumpta benevolentiae, non malignitatis adversus Demosthenem signa prae se ferre. Atque cum ex reliquis locis c. 15 [et 30] nihil ad hanc rem proficiamus, nullo loco simultas Magnetis adversus Demosthenem apparet[1]), Roesigerique sententia reicienda est.

---

[1]) Accedit quod Panaetii, quam c. 13 affert, sententia, si apud Demetr. Magn. Plutarchus eam invenisset, quod quidem Roesigero videtur, hunc monere potuit, ut illam simultatis opinionem valere iuberet; nam quid maius in laudem Demosthenis dici potest, quam quod Panaetius pronuntiat?

Deinde si reputamus, quomodo nomen Demetrii Magnetis c. 15 et c. 27 afferatur, hi loci non ita comparati sunt, ut efficiatur Plutarchum antecedentia quoque et subsequentia ex eo transscripsisse.

Atque totum caput 15 speciem doctrinae habet. Quod a Plutarcho inspectis eis quos nominat scriptoribus compositum esse negabit, quemcunque non fugerit iam ante illud tempus a doctissimis hominibus, Dionysio Halicarn. et Caecilio Calactino, in orationes Atticas diligentissime inquisitum esse, quo quaeque tempore scripta aut habita esset. Itaque ut semel quidem Roesigeri ratione utar, sic colligo: Nemo opinor infitias ibit hos nobilissimos viros etiam Magnetis historias literarum περὶ συνωνύμων inscriptas inspexisse. Ergo haec omnia ex eo, qui minimus omnium natus est, auctore desumpta esse credo i. e. ex Caecilio, cuius vestigia apparere sine ulla justa causa Roesiger negat p. 38 sq. Sed hoc suo loco accuratius comprobabimus. Ceterum mihi persuadere nullo modo possum Demetrium Magn. libro illo catalogi ni fallor forma composito talia tam fuse tractavisse. Id quoque perspicuum est ex iis, quae hoc capite traduntur, nullo modo colligendum esse, quinam totius vitae fons primarius fuerit. Abhorrent enim quam maxime a scriptore res gestas respiciente spectantque ad res grammaticas literasque magis quam ut quisquam concludere possit, qui talia scripserit, eundem mores, ingenium, res gestas magis respexisse, quam ad orationes aestimandas necesse fuit.

Altera Demetrii M. mentio c. 27 fit: ὅτε καί φησιν αὐτὸν ὁ Μάγνης Δημήτριος κ. τ. λ. Sed ne inde quidem colligi potest Magnetem fontem primarium esse. Nam quoad ego Plutarchi rationem scribendi perspexi, verba ὅτε καὶ semper fabellam undecunque decerptam et in narrationem continuam inculcatam praecedunt (cf. c. 17: ὅτε καὶ Θεόφρ.). Debet autem Plut. hanc notitiam nisi fallor Demetrii M. libro περὶ ὁμονοίας.[1]) inscripto. Nam talis libri testis est Cicero, fierique potest, ut Plutarchus, cum librum de exilio conderet, eam in hanc occasionem reservaverit.

Porro altero loco (c. 28), ubi similiter atque c. 14 Demetrii nomen patria non nominata exstat, quamquam proximo cap. 27 Magnetis diserte mentio facta erat et ad eius opus περὶ συνωνύμων haec notitia egregie quadrare videtur, tamen dubito, num hic intelligendus sit. Nam nisi obiter nusquam affertur et cum Plutarchus ab initio Phalerei testimonio multo crebrius utatur et c. 14 Phalerei, non Magnetis vestigia apparere probasse mihi videar, hic quoque Phalereum intellegendum esse puto. Accedit quod

[1]) Idem censuerunt Droysen, hist. success. Alex. M. p. 679 et Haug, die Quellen Plutarchs. Tüb. 1854.

res ad Phalerei fratrem Himeraeum pertinens exponitur. Idem, qui hoc modo mecum concluserint, magis perspicient:

Si Demetr. Magnes Hermippum secutus contrariam sententiam statuebat, ipsi, cur in contrarium iisset, explicandum erat. Et quomodo id potuit nisi fonte nominando, ex quo suum hauserit, quippe qui his temporibus remotus esset. Hoc non accidit, nam si accideret, Plutarchus quoque fontem nominaret nec Demetrium M. testem secundarium afferret, qui illud repetat. Certe enim hoc nemo credet Plutarchum hunc locum ita comparatum invenisse apud Magnetem: Hermippus quidem hoc dicit, ego autem multo melius instructus dico eum Anaximenis discipulum fuisse; animadvertas praeterea particula δὲ significari has notitias ex compluribus libris decerptas conecti; quas num ipse an alius, quem hoc loco transscripsit, composuerit, non difficile est decernere; nam abhorret quam maxime ab ingenio Plutarchi longius necessario evagari minutiasque doctorum hominum proprias data opera quaerere; itaque unum aliquem scriptorem ei haec omnia suppeditasse credendum est; quis hic fuisse videatur, infra explicabimus.

Restat, ut quaeramus, num reliqua, quae Roesigero videbantur, Demetrii Magnetis vestigia appareant; collegit autem omnia ex cap. 5.

Primum enim (pag. 36) probare studet, postquam Psplut. 844^b pro Hegesia Magnete Demetrium Magnetem temere recepit, Hermippi relationem auctore Gellio III 13 tradentis Demosthenem Callistrato τὴν περὶ Ὠρωποῦ κρίσιν dicente admodum adolescentem fuisse, a scriptoribus post Hermippum florentibus ita immutatam esse, ut Demosthenem admodum puerum fuisse asseverarent. Quis hanc fabulam ita deformaverit, Roesigero non difficile dictu; etenim cum Plutarchum auctores suos ad verbum exscripsisse neque ipsum ex compluribus fontibus congessisse neque, si videretur, hoc illud suo arbitrio addidisse credat, alium scriptorem, qui inter eum et Hermippum floruerit, nullum noverit nisi Demetrium Magnetem, hunc eum fuisse, qui fabulam ita verterit, ut apud Pspl. l. m. legimus, pro explorato habet.

At vero prorsus temerarium est hanc narratiunculam, quam iam Droysen (Philol. IV 427) et A. Schaefer (Dem. u. s. Z. I 276) et ante hos Westermann (vit. X or. Quedlinburg 1833) Hegesiae oratori et historico, qui aequalis Democharis erat, abrogare verebantur, alii scriptori adiudicare.

Quod, si quaesiverimus, quomodo diversae illae fabulae inter se cohaerere videantur, non iam obscurum erit. Etenim iam a Lozynskio (Hermippi Smyrnaei peripatetici fragm., Bonnae 1832) hoc animadversum est: 'Quae Plut. Dem. c. 5 narrat, tam sunt similia Gellianis, ut eum

Hermippi vitam Demosthenis hic ob oculos habuisse existimem.' Quam sententiam C. Müller (fr. h. Gr. III 50) probare videtur. Hermippum virum circa omnem historiam diligentem fuisse fr. 21, accurate in fontes inquisivisse fr. 58 docemur. Ac re vera, quantum eum novimus, nihil quod ad suam, quam tractaturus erat, materiam traditum esset, ab eo aut omissum aut spretum est; quo factum est, ut posteri circa agrum ab hoc demessum vix quicquam novi investigarent.[1]) Cum autem Plut. c. 5 primum tradat Demosthenem Callistrato audito ceteris disciplinis relictis declamitando se exercuisse, tum quasi in transcursu cap. 5 extr. adiciat auctore Hermippo Demosthenem Platonis in Academiam venisse, porro ap. Gell. III 13 similia Hermippum tradidisse legamus, apparet Hermippum de prima institutione Demosthenis uberius disseruisse, hic illic, ut etiamnunc multis eius fragmentis cognoscimus, addentem: ὡς ἔνιοί φασιν et similia. Igitur sive ipse Hermippus in sententiam iit tradentium Demosthenem adolescentem tum Platonem audivisse, cum Callistrati eloquentia alliciebatur, sive huius narrationis tamquam a multis probatae fortasse verbis ὡς ἔνιοί φασιν mentionem tantum fecit, quocum Gellianum 'scriptum est' convenire videtur, Plutarchum Hermippi vestigiis institisse certum est ita ut aut eius sententiam comprobaret aut alius scriptoris apud Hermippum allatam relationem probabiliorem atque commodiorem esse putaret. Apud Hegesiam Magnetem autem illam fabulam ab Hermippo inventam esse maxime probabile est, cum illum fabulis et commentis cum oratorio fuco enarrandis curam impertivisse sciamus.

Quoniam hac quaestione effecisse me puto nullam causam esse, cur illud quod traditum est, Demosthenem admodum adolescentem Callistratum audivisse, posteriorum esse commentum existimemus, postremus qui restat error Roesigeri tollendus est,

Ex eo enim quod Suid. Ἰσαῖος tradat: Δημήτριος δὲ Χαλκιδέα φησὶν αὐτὸν εἶναι· οὗτος δὲ ἐπαινεῖται καὶ ὡς Δημοσθένην ἀμισθὶ προαγαγών colligendum esse Plut. c. 5, ubi tradat Demosthenem, cum propter orbitatem Isocrati decem minas persolvere non potuisset, Isaeo praeceptore usum esse, Demetrium M. ante oculos habuisse. (Roes. p. 38 init.)

Quae res quo planior fiat nos non ut Roesigero placuit pauca verba, sed totum locum afferimus, nec Suidam sequimur, sed Harpocrationem quem ab illo exscriptum et auctum esse apparet. Tradit enim hic: Ἰσαῖος εἷς μέν ἐστι τῶν δέκα ῥητόρων, μαθητὴς δὲ Ἰσοκράτους, διδάσκαλος δέ Δημοσθένους, Ἀθηναῖος τὸ γένος [καθ' ἅ φησιν Ἕρμιππος ἐν β περὶ τῶν

[1]) Roesiger cum dicat Hermippum plurimarum fabularum inventorem fuisse ignorat subtilitatem Hermippi.

Ἰσοκράτους μαθητῶν]. Δημήτριος δ' ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν Χαλκιδέα φησὶν αὐτὸν εἶναι. Suidas s. v. Ἰσαῖος iisdem verbis iteratis praeter ea, quae uncis inclusi, hoc in extremo addit: οὗτος ἐπαινεῖται καὶ ὡς ῥήτωρ καὶ ὡς Δημοσθένην ἀμισθὶ προαγαγών.

Hunc locum, quisquis ita comparatum viderit concedet, non totum ex Demetrio M. pendere, sed certo non nisi de Isaei patria Demetrii opinionem, quae cum vulgari non congruat, afferri. Ac ne dicas Demetrium Hermippi vestigia prementem haec fortasse Harpocrationi praebuisse, quaeso animadvertas a Caecilio canonem, qui dicitur decem oratorum, constitutum esse, ut putandum sit scriptorem quendam, qui post Caecilii tempora floruerit, fortasse hunc ipsum, ab Harpocratione (et Suida) usurpatum esse. Nec verba a Suida adiecta unde fluxerint quisquam, qui accurate examinaverit, confidenter dicere potest. Ex Demetrio repetita ea esse conicere vetamur, quod ex iis, quae Harpocratio tradit, non discimus ea cum priore parte coniuncta esse. Itaque satis habeamus oportet statuisse iam ab Hermippo ipso talia fortasse narrata esse. Certum Demetrii M. haberemus indicium, si Isaeus a Plutarcho diserte Chalcidensis cognominaretur. Nam cum praeter Harpocr. et Suid. et Psplut. 839e, 844b et Phot. cod. 263 p. 490a 25 et cod. 265 p. 492b 26 ed Bekk. Isaeum Chalcidensem vocent, apparet posteriores scriptores Demetrium secutos esse, Plutarchum eius rei ignarum fuisse.

C. 30 num verbis κομιδῇ φλυαροῦσι Demetrii M. nec prioris alicuius scriptoris, qui Demetrii quoque auctor fuerit, refutetur commentum, incertum est. Sed etiamsi concedamus id ad Demetrium spectare, inde et quod duobus aliis locis notitiae quaedam ex eo repetitae sunt, minime colligere licet magnam totius vitae partem ex eodem Magnete fluxisse.

Denique non alienum a causa est commemorare in reliquis Plutarchi libris nullum exstare locum, ubi illo usus sit, quamquam hoc 'non magnum momentum facere' Roesigero (p. 39) concedo, dummodo non mero casu, ut illi videtur, sed consilio suos fontes eum adiisse credamus. At aliquantum sane ad rem pertinet, quod Dionys. Halic., testis minime spernendus, de Din. iud. 1 sq., Demetrium Magnetem severe vituperavit (οὐδέν ἐστιν οὔτε ἀκριβὲς οὔτε ἀληθὲς εὑρεῖν etc.). —

Duridis causa non firmioribus quam Demetrii Magnetis fundamentis nititur. Quod etiamsi postea mea quaestione instituta comprobabitur, nunc impetrare a me nequeo, quin, quanti illius argumenta aestimanda sint, paucis explicem.

Qua in re miror, quod Roesiger ne illud quidem diserte constituit, quousque vestigia Duridis pertinere velit; id tantum indicat inde a cap. 18 Duridis Ἑλληνικὰ singulariter exscripta esse. Verum praeter duo frusta quaedam ex eo desumpta nusquam Duridis indicium inveniri potest.

Nam, ut hoc praemittam, ne fide quidem hic Plutarcho veritatis studiosissimo se commendavit; nunquam laude, saepe gravissima reprehensione eum afficit, velut eius fidem in dubium vocat Pericl. 28 (C. Müller, fr. h. Gr. II fr. 60), Alcib. 32 (fr. 64), ex numero celeberrimorum scriptorum eum excludit Demosth. 23 (fr. 9), in medio relinquit, num vera habeat Demosth. 19 (fr. 6), nusquam eum solum, sed una cum fidis et certis scriptoribus testem affert (Alex. 15 fr. 10 et Alex. 46 fr. 18), nisi in narratiunculis levioris notae (fr. 22, 63, 65). Si vero quaesiveris, ubinam largiorem materiam Plutarcho praebuerit, etiam clarius perspicies hunc eos fontes miro iudicio indagavisse, ex quibus quam laetissimos fructus caperet. Nam ne de Pericl. vita repetam, quod supra memoravi, in Alcib. Ages. Lys. vitis, quoad ad Alcibiadis res spectant, Duridem delibavit, quod is se Alcibiadis nepotem esse gloriatus erat. Contra ad Alex. Eum. Demetr. vitas vix praecipue adhibitus est, quod Nitsche[1]) de Eumene et Demetrio, Alfr. Schoene[2]) de Alexandro comprobavit.

Neque eo Duris gratiam Plutarchi sibi conciliavit, quod a laudationibus longe afuisse videtur; nam idem Nitsche p. 30 bene perspexit a Duride Eumenis effigiem (Plut. Eum. 2) taetriorem fictam esse atque abhorrentem a reliqua narratione. Certe igitur Plutarchus, quem invidiose dicta οὐ πάνυ προθύμως admisisse ex Cim. vit. c. 2 novimus, non habuit, quod eo in Demosth. vita tamquam primario fonte uteretur. Nam etiam, quicquid de Atheniensibus ab eo scriptum aetatem tulit, prae se fert eorum odium (fr. 30, 60), et de Demosthene unico quod exstat fragmento 21 — quod in vitam non insertum esse vehementer mireris, cum Plutarchus, ut Roesigero videtur, eum ad verbum transscripserit —, prorsus diversum ab eo de Demosthene audimus atque a laudatore exspectes: ᾧ τὸ ἱερὸν πῦρ οὐκ ἐξῆν φυσῆσαι. Τίμαιος ἐν λη Ἱστοριῶν, ὡς οἱ περὶ Δημοκλείδην κατὰ Δημοχάρους εἶπον, ὅτι μόνῳ αὐτῷ πάντων Ἀθηναίων οὐκ ἔξεστι τὸ ἱερὸν πῦρ φυσῆσαι, ὡς μὴ καθαρεύοντι τοῖς ἄνω μέρεσι. Δοῦρις δ' ἐν τῇ ι Πυθέαν κατὰ Δημοσθένους τὸ ὅμοιον εἰπεῖν.

---

[1]) Nitsche 'König Philipps Brief an d. Athener, u. Hieronymus v. Kardia', Prgr. des Sophiengymn. Berlin 1876.

[2]) A. Schoene 'de rerum Alexandri M. scriptorum, inprimis Arriani et Plutarchi fontibus' Analecta philol.-hist., Lips. 1870.

Num igitur suo iure R. contenderit Duridem Atheniensibus et Demostheni favisse, tu decernas![1])

Nec prosperius ei res cessit explicanti illud studium oracula et fata Sibyllina colligendi ad Duridis rationem optime quadrare (Roes. p. 45 med., 46, 48 extr.). At Nitsche (l. m.) suo iure negavit in Eumenis et Demetrii rebus Duridis vestigia aut apud Diodorum aud apud Plutarchum eis locis, quibus talis rerum divinarum cura apparet, exstare. Contra illud huic largitus est, in Agathoclis rebus locutiones illas ὅπερ καὶ συνέβη alias id genus (cf. Roes. p. 28) Duridis proprias esse. At ubi tale quicquam in Demosth. vita reperias, nisi forte iteratus versus κλαίει ὁ νικηθείς c. 21 eius rei exemplum praebet, quod omnibus argutiarum inimicis ridiculum videri puto. Praeterea Nitsche evicit vocem τύχη in hist. diadochorum crebro exstare, contra in rebus Agathoclis vocabulum δαιμόνιον magis vulgare esse, unde collegit fontes harum partium diversos esse. Nam in Eum. vit. extr. vocem δαιμόνιον non fontis, sed Plutarchi vitam conficientis esse. Quod si Nitsche recte disputavit, neque est cur dubitemus, Diodori XVIII 59, qui locus mirum in modum cum Plut. Demosth. c. 19 concinit, ex Duride non repetitus est. Qua de causa cum hanc Diodori partem ab alio scriptore (Hieronymo Cardiano?) pendere verisimile sit, et vestigia eiusdem in Plut. Demosth. 19 prolatae opinionis apud Demosthenem ipsum, id quod suo loco demonstrabo, inveniantur, re vera illam de fortunae vicissitudinibus opinionem illis temporibus maxime vulgarem fuisse ut statuamus adducimur.

Aliam causam, cur Plutarchum ad Duridem se non applicasse putem, repeto ex Duridis fabularum et narratiuncularum delicatioris notae captatione. Nam vix casu factum est, ut ex 84 eius fragmentis, quae forte aetatem tulerunt, 16—18 vestitus, vini, feminarum laudatorem eum fuisse declarent. Inde eum non modo vitae delicatae deditum fuisse, sed etiam res et personas magis depinxisse, quam quales fuissent enarrasse, elucet, et quadrat ad hoc optime, quod teste Photio (bibl. cod. 176 p. 121b 4 Bekk.) ipse istud μιμήσεως studium boni scriptoris signum esse censuit ideoque Theopompum et Ephorum, qui illo comptu carerent, respuit.

Quae cum ita sint, animadvertendum est, quam non in Dem. vita oratio et descriptio rerum cum Duridis ratione conveniat. Plutarchus enim est multo astrictior multoque diligentiorem se praebet in recipiendis iis,

---

[1]) Ceterum R. postquam falso partem vitae Duridi assignavit, rationis suae plane oblitus p. 45 concedit Demosthenis vitia minime a Duride praetermissa esse, sed satis superque exponi, cum apud Chaeroneam in acie constitisset, eum ignave tergum vertisse.

quibus res causaque maxime continetur, quam ut scriptori alicui se adjunxerit, qui potissimum puerili oblectationi serviat.

Reliquum est, ut singula quaedam examinemus. Duris diligens temporum fuit; ubi tale studium in Dem. vita?

Deinde temerarium est existimare voces ἀριστοκρατικὸν et δυναστεύων Duridis, qui ipse dominationi praepositus fuerit et optimatium imprimis opera ad eam potestatem evectus sit, prae se ferre vestigia. Nos fontes ʻtam mirae Plutarchi opinionisʼ deteximus, ut infra docebimus, unde Roesigeri opinio ad nihilum recidet.

Porro omnes, quibus Duris nominatur, loci (c. 19 etc. 23) ita comparati sunt, ut suspicio moveatur Plutarchum Duridem fortasse ne obiter quidem ad hanc vitam consuluisse. Alterum enim locum ex memoria addidisse videtur, altero Duridem cum Idomeneo coniunctum affert; nonne inde et Idomeneum eum adhibuisse videri, qui non omnem rationem abiecerit, colliget? At ne minimam quidem suspicionem hic locus movit Roesigero!

Denique nullum testimonium vel indicium inveni Duridem tam longe digressum esse et tam accurate de Demosthene exposuisse, ut huic maiorem suae historiae partem dicaret.

Ceterum, quo Roesigeri inconstantia notetur, hoc quoque animadvertatur. Qui cum in aliis vitis summo opere contendat Duridem Plutarchi fontem primarium magna ex parte fuisse, dicit p. 52 (ad aliquem Moralium Plutarcheorum locum): ʻfortasse Clitarchum et Duridis et Aristobuli nomen Plutarcho suppeditasseʼ, iurans in verba eorum, qui ʻillam commodissimam rationem commenti sunt, eos potissimum usurpatos esse scriptores, qui aetate postremi omnium essent. Cur exempli causa non Phylarchum, cuius c. 27 mentio fit, ad Demosthenis vitam describendam a Plutarcho excussum esse opinatus est? hic vere historicus, hic etiam magis suppar, hic Duridem diligenter exscripsisse videtur. (C. Müller fr. h. Gr. II 471 Phylarchum sua ex Duride sumpsisse annotat). Quamquam equidem utor Schoenii l. m. p. 55 de Alexandri vitae Plutarcheae fontibus brevi, sed ut videtur vera argumentatione: ʻomnino non probabile esse Plutarchum in scriptorum delectu sive casu sive consilio se intra hanc (Duridis et Istri) aetatem continuisseʼ.

Hic subsistendum puto, neque deinceps, dum, quibus quidque Plutarchus debeat, expono, nisi in transcursu, mentionem faciam reliquorum errorum, quibus ille falsis rationibus ductus implicatus est. —

Iam vero, cum, quid ipse de fontibus huius vitae sentiam, mihi dicendum sit, duas, ut brevi comprehendam, inveni partes, quarum utraque in duas denuo particulas dissecta est.

Atque priore quidem parte continentur c. 5—11, (quod ex extremis huius capitis verbis apparet: ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων καίπερ ἔτι πλείω λέγειν ἔχοντες ἐνταῦθα παυσόμεθα κ. τ. λ.) atque c. 28—31. Altera pars amplectitur c. 4 init. et c. 12—27.

Agitur autem in illa parte, quam stirpem voco, inprimis de institutione, vi oratiora, plebis studio, moribus (c. 5—11), deinde de supremis diebus et morte Demosthenis (c. 28—31).

Altera parte res domi militiaeque gestae illustrantur et mores, quoad ad rempublicam pertinent, ita describuntur, ut ex stirpe, qua res publice gestae brevissime adumbratae erant, notitias quasdam transpositas esse appareat.

Praeterea has fere diversitates indagavi:

Illic multa φασί, λέγεται eorundemque testium crebra iteratio; hic permulta propria iudicia (φαίνεται, φανερὰ ἦν c. 13, 14, 16; δοκεῖ, μοὶ δοκεῖ, οὐκ ἄν μοι δοκοῦσι c. 4, 12; ἐγὼ δ' οὐκ ἂν εἴποιμι c. 22; ταῦτα μὲν οὖν εἰπεῖν προήχθημεν c. 22, et in Theopompum c. 13, 18, 21 et Aeschinem c. 22 reclamationes; contra in stirpe nisi semel (c. 9: πόθεν οὖν φαίη τις ἄν.. et ἀλλ' ἔοικεν..) nullum ipsius scriptoris iudicium invenitur.

Porro in stirpe multae narratiunculae plerumque levioris generis se excipiunt, in altera parte talia nisi illinc intexta non exstant. Denique postquam in stirpe nimis multa argumenta exaggerata sunt, quibus nobis persuadeatur Demosthenem a popularium partibus stetisse c. 8 sq., idem c. 14, quod caput in altera parte censendum esse statuo, pro optimatium fautore venditatur.

Quomodo autem Plutarchus ad eos fontes, quos supplendi causa adiit, delapsus esse videtur? Partim scriptorum praestantiorum accuratam notitiam habuit, partim nominibus scriptorum a fonte primario (stirpe) allatorum excitabatur, ut ipsos, quos bono usui sibi fore sperabat, scriptores inspiceret et si placebant, copiosius exscriberet.

Sed ante omnia, quinam fons primarius fuerit, aperiendum est.

Afferuntur in ea parte, quam continuo argumento aliisque proprietatibus excellere videmus, hi scriptores, omnes praeter Eratosthenem, ut statim perspicere licet, Peripateticorum sectae addicti: I. Theophrastus

c. 10 (et 17), II. Demetrius Phalereus c. 9, 11, 28 III. Hermippus c. 5, 11, 28, 30. IV. Eratosthenes c. 9 et 30, V. Aristo Ceus[1]) c. 10 et 30.

Ad I. Atque Theophrastus quidem, cuius ἱστορικὰ ὑπομνήματα uberrimam biographis praebuerunt materiam,[2]) duobus locis affertur, sed c. 10 ita, ut Aristonem eius dictum aliquod servasse appareat. Contra cap. 17 quidem nominatim affertur; sed dubium est, num hic locus vere ex ipso repetitus sit; nam ex eo quod et antecedentia et proxima verba ex alio fonte (Demosth. de cor.) hausta sunt, hoc fragmentum ex memoria vel ex ἀποφθεγμάτων collectione intrusum esse colligimus. Atque cum stirpem Theophrasti nomen Plutarcho praebuisse paulo post verisimile futurum sit, ex ea hanc notitiam de suo loco deiectam et in tempus reservatam hic insertam esse putandum est. At mihi comparato alio loco suspicio movebatur Plutarchum, licet illo modo hanc notitiam in librum receperit, calamo lapsum Theophrasti nomen attulisse. Legit enim nisi fallor hunc locum ita fere: κατὰ Θεόφραστον συμμαχίας κοινῆς συστάσης κ. τῶν συμμάχων ἀξιούντων ὁρισθῆναι τὰς εἰςφοράς, εἶπε Κρωβύλος κ. τ. λ. et ita comparatum apophthegmatibus eum mandaverat. Cum postea ad eum rediret negligentius legens interpretatus est scriptorem Theophrastum pro archonte = secundum Theophr. (auctore Theophrasto) pro temporibus Theophrasti (archonte Theophrasto). Nam maxime probabile est illius foederis supremam actionem in imperium Theophrasti archontis incidisse; Schaefer ipse quidem II 457, cum nihil certi traditum sit, dubitavit, num hoc foedus ol. 109, 4 extr. (ante diem septimum id. Mart. anni 340) acciderit; etenim anno 340 ineunte legationes ad Graecos exierunt et extremo demum anno Athenienses Philippo bellum indixerunt; adde quod multo post Demosthenes rogationem ad populum tulit, ut symmoriae ex rerum statu restituerentur (cf. Schäfer III 2 334 et Philochori fragm. 135, qui et ipse verba κατὰ Θεόφραστον habet).

Sed etiamsi hic locus et alii insuper in hac vita ad eius auctoritatem recurrerent, ego negarem Plutarchum eum ipsum evolvisse; nam et in omnibus ceteris vitis et in vita Demosthenis apparet Plutarcho posteriores Peripateticos, si idem argumentum tractaverant, ad manus dedisse, quae ille habuerat.[3])

---

[1]) Neque enim de Chio cogitandum est; cf. Hubmann in Jahnii annalib. III 1835 et Haug, die Quellen Plutarchs p. 76.

[2]) Köpke, de hypomnematis Graecis, Prgr. des Friedr.-Werder'schen Gymn., Berlin, 1842 p. 11.

[3]) Usener, Analecta Theophrastea, Lips. 1858, p. 24 perhibet in Diogenis Laertii libros Theophrastea ex Hermippo, quem de Theophrasto librum scripsisse ex Laertii II 35 et V 41 et Athenaei I 21 A testimoniis constet, certe transisse.

II. Demetrius Phalereus, Theophrasti discipulus, tam multos libros condidit, ut Diog. Laert. V 80 diceret: Πλήθει δὲ βιβλίων κ. ἀριθμῷ στίχων σχεδὸν ἅπαντας παρελήλακεν τοὺς κατ' αὐτὸν Περιπατητικούς. Quae de Demosthene tradidit, C. Muellero fr. h. Gr. II 367 ex libris περὶ ῥητορικῆς et περὶ δημαγωγίας hausta esse videntur. C. 14 et c. 28, ubi patria Demetrii non nominatur, de Phalereo cogitandum esse supra accuratius expositum est.

III. Tertius testis, si temporis rationem habemus, Hermippus est. Qui cum in libro peculiari de Demosthene scripserit et a Plutarcho saepe afferatur, plurimum interest quaerere, num ad hanc vitam conscribendam aeque atque ad Solonis et Lycurgi tamquam primarius fons usurpatus esse videatur. Atque toti libro, ut hominibus doctissimis placet, inscriptum erat Βίοι; una eius libri parte egit de Isocratis discipulis (vide fr. 57 et 64). Auctoritas eius haud minima fuit, ap. Josephum (fr. 21) laudatur tamquam ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν ἐπιμελής. Dionys. Halic. de Is. iudic. 1 laudat eius ἀκρίβειαν (fr. 58); dicit enim: οὐδὲ γὰρ ὁ τοὺς μαθητὰς ἀναγράψας Ἕρμιππος, ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις γενόμενος, περὶ τοῦδε τοῦ ῥήτορος (de Isaeo) οὐδὲν εἴρηκεν ἔξω δυοῖν τούτων, ὅτι διήκουσε μὲν Ἰσοκράτους, καθηγήσατο δὲ Δημοσθένους κ. τ. λ.

Inde apparet eum magistro suo Callimacho, cuius subtilitatem et diligentiam vix quisquam aequavit, dedecori non fuisse; re vera et Solonis et Lycurgi vitae Plutarcheae hanc prae se ferunt doctrinam.

Itaque non temerarie conicias, cum in Demosthenis quoque vita eius nomen solito saepius splendeat, Plutarchum permulta ei debere. Quae opinio aliis indiciis etiam magis confirmatur. Nam quod c. 8 invenimus: ἐκ τούτου δόξαν εἶχεν ὡς οὐκ εὐφυὴς ὤν, ἀλλ' ἐκ πόνου συγκειμένῃ δεινότητι χρώμενος Hermippi fuisse sententiam a Suida s. v. Δημοσθένης (Hermippi fr. 59) docemur: Δημοσθένης ἐπιμελὴς μᾶλλον ἢ εὐφυής, ὡς Ἕρμιππος ἱστορεῖ [καὶ τὰς ἡδονὰς ἀκόλαστος, ὡς καὶ τοῦτό φησιν ὁ αὐτός]. Neque vero hoc solum ex Hermippo repetitum esse, sed totum fere caput 8 ex eo pendere nexu sententiarum cognoscimus, ut veri simile sit eum in libro suo id potissimum studuisse, ut Demosthenem diligentem magis quam ingenio valentem fuisse evinceret. Quocum egregie convenit id, quod suo iure Begemann (l. m.) monuit Hermippum in vitis condendis sententias quasdam toti libro subicere solitum in Solonis vita id egisse, ut Solonem multis rebus bene gestis in dies magis et gloria et dignitate florere coepisse ostenderet, dum ad eum gradum auctoritatis ascendisset, ut Athenienses eum idoneum putarent, quem legumlatorem crearent (c. 11: ἀπὸ τούτου ἔνδοξος ἦν ὁ Σόλων κ. μέγας, c. 12: ἤδη δόξαν ἔχων, c. 14: μεγάλην δόξαν εἶχεν Begem p. 15).

Deinde Solonem in omnibus rebus δημοτικὸν κ. μέσον fuisse Hermippus probare nititur (Begem. p. 17).

Quae si recte disputavit Begemann, nostro iure et reliquam partem capit. 8, qua Demosthenem δημοτικὸν se praestitisse probatur, ad Hermippum referemus. Cuius sententiae auctorem ut evinceremus quod nobis contigit, etiam iucundius nobis est, quod c. 14 extr. plane diversum studium Demostheni fuisse audimus.

Neque, si quidem paulo antea recte disputavi Hermippum diligentia Demosthenem ad eloquentiam provectum esse summo opere explicare studuisse, suspicio abest etiam ea, quae c. 11 auctore Demetrio Phal. traduntur, per Hermippum ad Plutarchum perlata esse; nam egregie his ea sententia comprobatur; quibuscum praeclare convenit, quod Dionys. Halic. de admir. vi dic. in Dem. c. 53 scripsit: καίτοι φύσει πρὸς ταῦτα (τὰ πάθη τὰ τῆς φωνῆς κ. τὰ σχήματα τοῦ σώματος) οὐ πάνυ εὐτυχεῖ χρησάμενος, ὡς Δημήτριος ὁ Φαληρεύς φησι κ. οἱ ἄλλοι πάντες οἱ τὸν βίον αὐτοῦ συγγράψαντες.

Atque re vera c. 11 Hermippi nomen cum Demetrii ita coniungitur, ut statim cognoscas scriptorem vitae Demosthenis huius testimonium apud Hermippum repperisse, nisi forte negaveris hoc totum caput bene conexum esse. Similiter cum c. 28 utriusque nomen coniunctum sit, in eandem opinionem perducimur, atque si insuper contulerimus etiam in vit. Sol. c. 23 et Lyc. c. 23 Demetrium ex Hermippo in Plutarchum translatum esse videri, iusta cum causa et in vit. Demosth. c. 9 et 14 idem accidisse statuemus. Sed superest et alia ratio alterum locum (c. 14) explicandi, de qua re infra ad hoc caput exponemus.

Transeamus ad aliud Hermippeae traditionis indicium. Iam ab aliis hominibus doctis (Begem. p. 4, Nietsche in mus. Rhenan. vol. 24 p. 209) verisimile esse animadversum est omnes locos, quibus, quomodo philosophi mortui essent, narraretur, Hermippo auctori deberi, utpote qui quindecim locis eiusdem rei testis allatus esset. Ac ne in hac quidem re dubium est, quin Hermippus altius repetens disseruerit, qua quisque constantia supremam horam exspectaverit. Itaque magnam partem capitum 28—30 Hermippi auctoritate niti quis est qui neget? Velut Democharem, cuius nomen c. 30 affertur, proinde ac Pappum aliosque eorum, qui de ea re diversa sed memoratu non indigna scripserant, inprimis Philochorum, cuius nomen Pspl. 847a reservavit, haud dubie iam Hermippus adhibuerat.

Sed tamen, ne Hermippum fontem primarium fuisse Plutarcho credamus, hoc ipso loco magnopere prohibemur. Quonam modo? Occurrunt nobis

etiam nomina scriptorum tum fere aequalium tum posteriorum. Licet enim Hermippus Callimacheus vitam ultra annum 203 aliquot annis deduxerit, Aristo Ceus, quem inde ab anno 226 Peripateticorum rectorem fuisse accepimus, flore aetatis de Demosthene quae eius fide nituntur scripserit, Eratosthenes, qui anno 275 natus 194 decessit, prima iuventute, quae huc pertinent, consignaverit, tamen, si Hermippum non extrema aetate vitas illas composuisse crediderimus, eum ad illorum libros sua concinnasse putare dubitabimus. Quamquam me non fugit Eratosthenem quoque Callimacheum fuisse et in regenda bibliotheca Alexandrina Callimacho successisse, neque esset cur Aristonem, qui ipse quoque Peripateticorum familiae addictus esset, Hermippo scripta sua impertivisse data opera negarem, nisi alia restaret via, quam ut ingrediar, pluribus indiciis cogor.

Vestigia enim apparent scriptoris cuiusdam, qui inter annum 181 et 146 a Chr. n. floruit, et Peripateticorum asseclam ipse quoque se profitens Demosthenis vitam condidit.

Nam nescio quo favore fortunae Pspl. 847a, ubi alios scriptores alia morte Demosthenem occubuisse tradidisse mira quadam diligentia explicatur, docemur: Σάτυρος δὲ ὁ συγγραφεὺς τὸν κάλαμον πεφαρμάχθαι, ᾧ γράφειν ἤρξατο τὴν ἐπιστολήν, οὗ γευσάμενον ἀποθανεῖν. Plutarchus autem c. 29 hanc narrationem secutus copiosiusque interpretatus c. 30 Aristonem eius rei testem nominat. Quae cum ita sint, Satyrus sine dubio Aristonis vestigia pressit et quae hic tradiderat adoptavit et fusius explanavit.

Quoniam igitur scriptorem repperimus, qui scriptores post Hermippum florentes, Eratosthenem et Aristonem, excussisse videtur, refert examinare, num Plutarcho aliqua re se commendaverit et alio iam loco usui fuerit. Qua in re dolendum est, quod ob paucitatem fragmentorum parum liquet, qualis fuerit. Sed praedicatur eius doctrina ab Hieronymo de viris illustr. II 822 hoc modo: Hortaris me, ut — ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram et quod ille in enumerandis gentilium literarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam . . . fecerunt quidem hoc idem apud Graecos Hermippus peripateticus, — Satyrus doctus vir. —

Amplitudine autem huius vitae (Βίοι τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν) fuerunt tanta, ut iam Heraclides Lembus, homo ei subaequalis, in compendium eas redigeret. Quid vero? Plutarchus, qui Satyri nusquam neque in Demosthenis vita neque in alia vita mentionem facit, eum excussisse existimandus est? Re vera hoc fuit omnino antiquorum rerum scriptorum, inprimis Plutarchi proprium, cum diversos adhiberent auctores et, quae a singulis tradita essent, referrent, ut ipsos laudare solerent; sed eidem, cum unum eundemque auctorem longius

sequerentur, quae hic in horrea sua diligentia laboriosa condiderat, exscriberent, eius nomen addere supersederent[1]). Satyro ipso ad Alcib. vit. a Plut. usurpato neque usquam diserte nominato ad istam regulam perducimur.

Quid quod et necessitas quaedam inter utramque vitam intercedit; quod quo dilucidius fiat, aliquantum digrediamur oportet.

Prima enim verba cap. 1 vit. Demosth. spectant sine dubio ad carmen epinicium illud, cuius partem Plut. in vit. Alcib. c. 11 attulit. At, dixerit quispiam, tune negas Plutarchum illud epigramma ipsum in collectione Euripideorum carminum possedisse et his locis apte collocasse? Equidem nego. Nam primum quidem ipse haesitat, utrum Euripidis an alius poetae sit. Deinde c. 1—12 vitae Alcibiadis Satyri maximam partem auctoritate niti mihi probabile est, quamquam Fricke l. m. p. 52 non solum Muellerum reprehendit, quod is (l. m. III 160) relationis Athenaei XII p. 534 B nimis magnam partem Satyro adiudicarit, sed etiam Plutarcho exspectatione majorem diligentiam nec verisimilem nec necessariam, cum aliorum probata opere frui posset, largiatur. Ceterum ipse Fricke concedit Plutarchum, cum c. 13 ad res ab Alcibiade in republica gestas transgrediatur, prioribus scriptoribus χαρακτῆρα respicientibus relictis ad vere historicos se applicare. Quosnam igitur auctores his duodecim capitibus nominavit? Antiphontem, Theophrastum, comicos. Omnesne a Satyro usurpatos esse putandum? Theophrastum quidem ei notum fuisse apparet; uterque enim peripateticus, uterque περὶ χαρακτήρων exposuit (Athen. IV 168E, Müller f. h. G. III 159), praeterea fragmentis docemur Satyrum moribus et indoli depingendis non mediocriter idoneum fuisse, porro duodecim illis primis capitibus indoles et natura potissimum Alcibiadis exponitur, denique Plutarchus Antiphontis et comicorum scripta vix inspexit, cum Satyrus, scriptor subtilis et apum quadam sedulitate instructus, de eàdem re egisset.

Quid autem, dixerit aliquis, tu de eo loco (Alcib. c. 10) existimas, quem ex Dem. or. Midiana haustum esse ipse Plut. commemorat?

Ac Fricke quidem hoc ex Theophrasto translatum esse suspicatur, iusta causa prolata nulla; nam veri similius esset Plutarchum hanc orationem ipsum contulisse, quippe qui in vitae Demosthenis c. 12 suum iudicium ita adhibeat, ut non possit eam non legisse. Sed nihil obstat, quominus etiam hanc notitiam ad Satyrum referamus. Satyri enim vitas amplas fuisse

---

[1]) Idem H. Peter, die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer, Halle 1865 p. 107 et nuper Geer, de fontib. Plut. in vit. Gracchorum, Leyden p. 53, et alii praeter hos homines docti animadverterunt.

modo cognovimus; deinde ille locus doctrinam prae se fert et praeterea ad comicorum auctoritatem respicit, quos adisse Plutarchum ipsum negamus, denique tam arcte cum ceteris coniunctus est, ut seiungi non possit. Atque quamquam certis nixi Demosthenis vitae indiciis Plutarchum ipsum ad Demosthenis vitam conscribendam Midianam studiose legisse censemus, tamen aliud est aliquam notitiam inde decerpere ac morum et vitae perspiciendorum causa totam orationem perscrutari. Nam et illud hominis docti Alexandrini est neque, qui mores cognoscere studet, facere potest, quin praeter or. de cor. eam potissimum adeat.

Ceterum tenendum est verisimile esse Plutarchum, cum vidisset fontem primarium saepius ad illam orationem se referre, ipsum eam evolvisse et diligenter pervestigavisse.

Quid ipse hauserit, quid descripserit exponere ab hoc loco abhorret; hoc monendum fuit iam ante Plutarchum Satyrum Midianam excussisse certa indicia exstare.

Ita hanc quaestionem sane plenam difficultatum dissolvisse cum aliqua probabilitate nobis videmur.

Quoniam igitur undecimum quoque caput vitae Alcibiadis ex Satyro desumptum esse constat, cum decimum et duodecimum sicut antecedentia ex eodem fonte hausta sint, fragmentum autem illius carminis epinicii in Dem. vitae cap. primo prolatum ad eam partem vitae Alcibiadis referendum sit, quae sine dubio ex Satyri stilo fluxit, necessitatem memoratu dignam inter utramque vitam intercedere quis est qui neget? —

Hoc loco aliud quoque paucis absolvam.

Etenim mirum est, quod Plut. Idomeneum Lampsac., cuius et aliis locis et in Demosth. vita bis mentionem facit, in alia re prorsus neglexit. Legimus enim fr. 13 (ap. Athen. XIII 592 F, Müller II 492) Idomeneum fabulam quandam a Demosthene ipso in Midiana refutatam iterum repetiisse aliudque convicium insuper in libidinem Demosthenis congessisse: ἀκόλαστος δ' ἦν ὁ ῥήτωρ περὶ τὰ ἀφροδίσια, ὥς φησιν Ἰδομενεύς. Ἀριστάρχου γοῦν τινος ἐρασθεὶς μειρακίου καὶ δι' αὐτὸ παροινήσας εἰς Νικόδημον ἐξέκοψεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμούς κ. τ. λ. Idem cum Hermippus receperit (cf. fr. 59 iam supra alia de causa allatum), Satyrum quoque transscripsisse verisimile est; nam hi viri docti, qua erant diligentia, etiam quae commenticia esse cognoverant, in usum suum convertere solebant. Quanam igitur causa Plutarchus hanc rem commemorare prorsus supersedisse videtur? Nam quod Plutarchus, quo veritatis studio imbutus erat, maligniores scriptores a se removit, ea re non demonstratur cum Idomenei verba ne mentione

quidem digna putavisse. Quamquam enim ipse (Cim. 2) profitetur se in malam partem non libenter inclinare solere, et Idomeneus, quem Epicuri sectatorem libro περὶ δημαγωγῶν inscripto bilem in illustrissimum quemque hominem effudisse constat, propter malam fidem Plutarcho suspectus fuit, tamen ex eis locis, quibus eius meminit, elucet eum eius auctoritatem non ita respuisse, ut quicquid tradidisset silentio praeteriret. Exemplo est Pericl. 10, quo loco eum propterea non sprevit, quod ei aperire non contigerat, quibus ille nixus fontibus hanc Pericli asperserit labeculam. Maximumque documentum habemus eum Midianam legisse, fortasse propter hanc ipsam rem evolvisse et accuratius inspexisse. Itaque cum Demosthenes talia ut commenticia inimicorum refellerit, Plutarchus ea iterare supersedere se posse putavit. Omnino Plut. ipse vix semel Idomeneum consuluit, praesertim cum, ubicunque eius testimonio nititur, appareat ei ab aliis quicquid ille habuerat subministratum esse.

Hoc in Dem. vita eis locis, ubi nominatim affertur (c. 15 et 23) magis perspicuum fit; nam utrobique opera diligentium et accuratorum scriptorum uti videtur. Infra ad c. 14 lacunam quandam apparere docebo, cum de vita privata dicturus nihil nisi hoc pronuntiet: ἐπεὶ τούς γε καθ' αὑτὸν ῥήτορας ταὶ τῷ βίῳ παρῆλθε, quem locum Roesigerum male interpretatum esse iam explicatum est.

Iam vero, ut de Satyro concludam, quoniam fusius exposui admirabile esse, quanta diligentia illi docti alius alium transscripserint et auxerint, tandem, id quod vel maximi momenti est quaerentibus, num probabile sit Satyrum vestigiis proximorum doctorum institisse, animadvertendum est Demetr. Phalereum et Theophrastum, Hermippum et Aristonem, postremum Satyrum peripateticorum scholae addictos fuisse. Hi omnes Aristotelem aemulati non solum doctrina quantum possent adsequi studebant, sed id quoque potissimum nitebantur, ut vitas praeclarorum hominum conscriberent ita ut minus ad res ab unoquoque gestas quam ad eruditionem et mores spectarent. Accedit quod libros cognatorum et aetate superiorum philosophorum pietate quadam colebant, exscribebant, augebant, neque vero mirum est, quod, quam sedulitatem quasi hereditariam acceperant, ea ad libros aliorum doctorum excutiendos utebantur, vix ut ulla pars literarum omnium temporum eos fugeret; denique vel ipsi Alexandrini quodam commercio et usu cum his coniuncti erant.

Ita manifestum est fieri potuisse, ut opera Peripateticorum stirps quaedam Plutarcho ad vitam Demosthenis praesto esset, quam quin neglexerit, nulla suberit cuiquam suspicio. Expedit ad hoc, quod certa indicia talis

stirpis ipsa vita praebentur, quod singulorum capitum examinatione etiam clarius fore spero. Quid quod non incredibile est Pseudoplutarcheam quoque Demosthenis vitam ad talem stirpem revocandam esse.

Haec fere de stirpe dicenda erant. Quae ut reticerem, a me impetrare non potui, quamquam Satyri nomen adhuc sane obscurum fuisse haud ignoro. Neque enim utile esse existimo, quae mihi diu ac diligenter, ut quem scriptorem Hermippo, Aristone, Eratosthene aetate minorem investigarem, historias perscrutanti invenire contigit, prorsus abicere.

Iam vero explicandum erit, cur alios insuper scriptores adhibuisse, deinde quos contulisse videatur.

Atque neminem fugit Plutarchum in vitis virorum clarissimorum describendis de muneribus publicis fere nihil aliud, nisi quod omitti non posset, afferre solitum esse, ad indolem autem moresque illustrandos plurimis verbis usum esse et narratiunculas faceteque dicta cumulasse, quod ipsius verbis (Alex. c. 1) satis declaratur. At stirps earum rerum largam materiam praebuit. Cur hac contentus non erat? Plutarchi non erat exemplum tamquam defixis oculis sequi nec satis habuit audivisse Demosthenem his illis moribus usum esse, sed sciscitabatur, quibus factis meruerit, ut talia iudicia de eo homines docti posterioris aetatis ferrent.

Veritatis igitur studio impulsus mihi quidem ad scriptores magis res respicientes delatus esse videtur; accedit quod vero artium liberalium studio, penitus commotus admiratione, memoriam condere voluit nobilissimorum antiquitatis virorum.

Deinde si, quos contulerit, mihi dicendum est, quibus ex fontibus quam plurima haurire posset haud ignorabat. Etenim qui posuit lectores praeclarissimorum scriptorum notitiam habituros esse (Nic. cap. 1), non potuit non ipse interiore cognitione clarissimorum literarum luminum instructus esse.

Atque primum quidem Theopompo aliis in vitis permulta debet. Quid? eumne potissimum excussit scriptorem, quem propter malignitatem non semel severe reprehendit? cf. exempli causa Lys. c. 30, de malign. Herod. p. 855a, quocum et quae Dionys. Halic. de vet. script. cens. 3, 3 et de compos. verb. 4 p. 30 dicit et aliorum censura conveniunt.

At Plut., ubicunque ipse propria rerum investigatione iudicio valere se vidit, ipse quae a vero abhorrere sibi viderentur aut repudiavit aut tamquam ad obrussam exegit; quin etiam hoc modo accuratiorem imaginem eorum quos celebrabat se habiturum speravit. Praeterea eo, quod hic Demosthenis aequalis et ingenio prae omnibus insignis fuit, Plut. pellectus esse videtur,

ut eum crebrius adiret; nam scriptores ingeniosi habent magnam ad animos legentium vim et ita se in eos insinuant, ut hi ab eis discedere nequeant. Adde quod eis, quae Dionys. Halic. l. m., qui reliquos rerum scriptores acerbissime recensuit, in Theopompo praedicat, dispositionis elegantia et quod omnia secreta virtutis fucatae et vitii latentis detexerit et in apertum protulerit, maxime Plutarcho morum studiosissimo investigatori placuisse existimandus est. Ceterum Theopompus vere historicus est neque ut stirpis scriptor mores, quales fuissent, depinxit, sed res et facta, quibus hi cognosci possent, prodidit.

His de causis etiam ad Demosth. vitam eius Φιλιππικά usurpata sunt. Et septies quidem nominatim affertur, praeterea quibusdam fragmentis (ap. Muellerum fr. h. Gr. I 258 sqq.) velut quibus de pugna Chaeronensi traditur, cum Plutarchi narratione tam congruentia referuntur, ut hic etiam saepius Plutarcho usui fuisse videatur.

Neque vero in decimo libro, cuius partem quandam de demagogis egisse Athen. IV 166 D et scholiasta Luciani Tim. c. 29 auctores sunt (cf. Müller fragm. I p. 293 et 294), Plutarchus, quae ex eo in vitam Demosthenis transscripsit, invenit, licet illo libro de pristinis demagogis (Cimone, Themistccle, Aristide, Pericle, Cleone, Hyperbolo, Alcibiade?, reliquis) digressionibus factis accuratius exponeretur. Contra in Demosthene dubium non est, quin Theopompus, cum ille in republica primum apparuit, vitam eius paucis adumbrarit, deinde suo quoque loco, quotiescunque Demosthenes rebus interfuit, diserte eius factorum mentionem fecerit.

Praeter Theopompum ex multis et apertis et remotioribus indiciis manifestum fit eum Demosthenis orationes tres diligenter perlustrasse: de corona, contra Aphobum primam, contra Midiam; hae orationes, quas Plut. sine dubio iam dudum in scholis cognoverat et decantaverat, inprimis idoneae sunt, quibus expressa summi oratoris effigies in animis efficiatur. Hoc praecipue cadit in or. de cor., quam non solum rerum cognoscendarum causa examinasse videtur, sed ut iudicium sibi fingeret, quo nixus adversus Theopompi acerbitatem, addo et Aeschinis cavillationes, confidenter pugnare posset. Nam certo evinci potest eum Aeschinis or. in Ctes. satis accurate adhibuisse, quamquam ut solebat saepius suo arbitrio nimis indulsit. Sed ne Plutarcho nimiam incuriam crimini demus, apertis indiciis docemur nonnullis locis et Theopompum Aeschinis in vestigiis stare, (c. 4, 14) c. 18 extr., quibus de locis suo tempore dicendum erit. Etenim prorsus incredibile est Plutarchum in ea parte vitae, quae haud dubie ex Dem. et Aesch. orat. Theopompique historia conflata est, ipsum

locos quosdam ab Aeschinis et Demosthenis narratione dissidentes suo arbitrio ita immutasse, ut aut contraria diceret aut, quae nisi aequali scriptori nemini nota esse potuerunt, adderet. Deinde Ruehl[1]) animadvertit Plutarchum Cim. c. 7 ad Aesch. or. in Ctes. § 183 sqq. spectare; qui orationi inseruerat Cimoni ob victoriam ad Strymonem reportatam tres hermas positos esse idque, quamquam in iis non ipsius ducis Cimonis nomen inscriptum esset, sed solius populi, magni honoris Cimoni testimonium et fuisse et esse. Quam rem cum Plut. l. m. eadem fere brevitate narret, Ruehl suo iure ex Aeschine repetitam esse monuit. Atqui Plutarchus et ante et post ea eodem Ruehlio probante Theopompea refert. Nonne inde suspicio etiam magis confirmatur Theopompum saepius ex Aeschine hausisse? Quin imo exploratum est eum, cum effigiem hominum illustrium depingebat, adversarios sequi solitum esse; velut, ut luculento exemplo utar, in Philippi moribus illustrandis Demosthenem minime sprevit (cf. fr. 249 et Dem. Olynth. II 18 sqq.); pertinent huc etiam aliquae res a Diodoro traditae; neque enim habemus, quod in ea re ab Haakio[2]) dissideamus monente, quicquid apud Diodorum Demosthenem redoleat, a Theopompo profectum esse, quem Philippum ob morum pravitatem severe castigasse ex Polyb. VIII 11 et fragm. 249 elucet.

Sequitur ut coniciamus Theopompum, cum Demosthenis omniumque demagogorum Philippo adversantium mores describeret, adversariorum orationes adisse. Cui sententiae non modo non absonum est, verum etiam favet, quod Theopompum Philippica post annum 324 edidisse duobus fragmentis (fr. 334 ap. Polluc. V 42; fr. 108 ap. Plut. Demosth. c. 26) cognoscimus; itaque fieri potuit, ut Aesch. or. in Ctes. in manibus haberet. Sed eandem rem, quo clarior fiat, ubi primum locus datus erit, paucis retractabo (ad cap. 4).

Reliquos auctores delibatos tantum esse suo loco docebo. Quoniam hoc modo in universum, quos potissimum auctores Plutarcho in Demosth. vita praesto et maximo usui fuisse putandum sit, disputavi, quid ex libro ipso elici possit, experiendum est.

C. 1—3 ex Plutarchi stilo fluxisse et rebus narratis et nexu sententiarum et sententia communi comprobatur.

C. 3 explicat se ex actionibus naturas moresque Demosthenis et Ciceronis comparaturum esse Caeciliique Calactini rationem abicit, qui temere σύγκρισιν τοῦ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος scribere ausus sit.

[1]) Ruehl 'die Quellen Plutarchs im L. des Cimon' Marbg. 1867, p. 26 sq.

[2]) Haake 'de Duride Samio Diodori auctore' Bonnae 1874, p. 48.

Quae in his capitibus insunt, omnia aut ex memoria aut ex ingenio repetivisse videtur.

Itaque, postquam breviter adumbravit, quomodo utriusque mores et fortuna convenirent, ad Demosthenis vitam accedit.

C. 4 init. Plut. ipse diserte Theopompum laudat, quo ipso loco suspicio movetur hunc saepe ex Aesch. orationibus hausisse; nam Theopompus ap. Plut. congruit cum Aesch. 3, 171: τούτῳ πατὴρ μὲν ἦν Δημοσθένης Παιανιεύς, ἀνὴρ ἐλεύθερος, οὐ γὰρ δεῖ ψεύδεσθαι, et Plutarchi verba deinceps ex Aeschine, qui nominatim affertur, deprompta eodem, quem modo attulimus, loco inveniuntur vel potius proxime ei succedunt. Ex Theopompo procul dubio et quae inter hos locos iacent: ἐπεκαλεῖτο δὲ . . transcripta sunt. Neque vero, quod huius quoque notitiae apud Aesch. 2, 93 mentio exstat (καὶ σεμνολογεῖς ἡμῖν ὡς οὐκ εἰδόσι τούτοις, ὅτι Δημοσθένους υἱὸς εἶ νόθος τοῦ μαχαιροποιοῦ), tanti momenti est, ut vel Theopompum vel Plutarchum ad eam orationem recurrisse putemus, cum aequalem scriptorem tale quicquam fugisse existimari nequeat. Omnino enim moderatione utamur necesse est; itaque satis habendum est, ubicunque Theopompus nominatim allatus cum Aeschine consentit, hoc monuisse; neque enim cuiquam continget, ut pro certo contendat Theopompum Aeschinis orationes fere ad verbum compilasse, etiamsi non semper et vix diu rebus Atheniensibus interfuit.[1])

Quae de damno a tutoribus accepto narrantur, ex Dem. or. c. Aphob. II 27, 4 sqq. ad verbum congesta sunt:

Plut. c. 4:	Demosth. 27, 4:
1. ἀπολειφθεὶς δ' ὁ Δ. ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἑπταέτης	1. § 4: Δ. ὁ ἐμὸς πατὴρ κατέλιπεν — ἐμὲ ἑπτ' ἐτῶν ὄντα
2. ἐν εὐπορίᾳ (μικρὸν γὰρ ἀπέλιπεν ἡ σύμπασα τίμησις αὐτοῦ τῆς οὐσίας πεντεκαίδεκα ταλ.)	2. § 9: πεντεκαίδεκα ταλάντων γὰρ τρία τάλαντα τίμημα
3. ὑπὸ τῶν ἐπιτρόπων ἠδικήθη τὰ μὲν νοσφισαμένων τὰ δ' ἀμελησάντων,	3. conflata ex § 13 sqq., 40 sqq. § 13: — νοσφισαμένων — § 40: — ἀμελησάντων —
4. ὥστε κ. τῶν διδασκάλων αὐτοῦ τὸν μισθὸν ἀποστερῆσαι.	4. § 46: ὥστε κ. τοὺς διδασκάλους τοὺς μισθοὺς ἀπεστέρηκε.

[1]) Constat Theopompum ol. 107 Athenis cum Isocrate iam diu relictis in Asia commoratum esse; quo deinde se contulerit nescimus, quamquam sine dubio iterum atque iterum Athenis fuit. Ol. 111, 3 denique Alexandri gratia in patriam Chium revertit, qua 43 annos caruerat. Itaque veri dissimile omnino non est, eum ad res Athen. describendas aequalium orationes saepe et grato animo adhibuisse.

At quod deinde tradit puerum Demosthenem elegantioris et ingenuo puero dignae disciplinae expertem mansisse, manifesto repugnat cum Dem. 18, 257 (265).

Quid inde colligendum? Plutarchum hac in re alium fontem secutum esse.

Re vera Aesch. 3, 255 similiter dicit: τίνες ὑμῶν εἰσιν οἱ βοηθήσοντες Δημοσθένει; πότερον οἱ συγκυνηγέται ἢ οἱ συγγυμνασταὶ αὐτοῦ, ὅτ᾽ ἦν ἐν ἡλικίᾳ; ἀλλὰ μὰ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον, οὐχ ὑς ἀγρίους κυνηγετῶν, οὐδὲ τῆς τοῦ σώματος εὐεξίας ἐπιμελούμενος διατετέλεκεν, ἀλλ᾽ ἐπασκῶν τέχνας ἐπὶ τοὺς τὰς οὐσίας κεκτημένους (videl. tutores) διαγεγένηται. Atqui ne Aesch. quidem his verbis eum artium liberalium rudem fuisse ait, quin etiam extremis verbis contrarium significat. Num igitur Plut. ad vitam peculiarem confugisse videtur? At minime cogimur hoc suspicari, modo reputemus Plutarchum saepe suo iudicio nimis confisum res exiguas in maius auxisse.

Itaque cum or. c. Aphob. I, cui se paulo antea adiunxerat, haec inveniamus § 45: ὥστε κ. τοὺς διδασκάλους τοὺς μισθοὺς ἀπεστέρηκε, Plut. haec. sine dubio suo arbitrio interpretatus est; hanc in sententiam et voce δοκεῖ perducimur.

Reliqua ex Aesch. 3, 255 profecta esse verisimile est. Unde autem primam causam, cur Βάταλος vocatus sit, hauserit, multo difficilius dictu; nam etiamsi ap. Aesch. 2, 99 (ἐν παισὶν ὢν ἐκλήθη δι᾽ αἰσχρουργίαν τινὰ καί κιναιδίαν Βάταλος) habemus, ex quo illud colligi possit, tamen nullum alium locum investigare potui, quo eum hanc quoque orationem accurate excusisse perspicue eluceat. Fieri igitur potest, ut in stirpe talia invenerit.

Alteram partem huius capitis inde a verbis ἦν δὲ ὁ Βάταλος . . . aliunde desumptam esse intelleget, quisquis comparaverit, quam cum eis quae antecedunt non concinat. Ut exemplo utar, quomodo verba δοκεῖ δὲ κ. τῶν οὐκ εὐπρεπῶν τι λεχθῆναι τοῦ σώματος μορίων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι βάταλος cum causa paulo ante prolata conveniunt. Deinde mirum quam inepte et inconcinne his minutiis perturbetur rerum ordo ac series. Quas Plutarchum quidem non undique collegisse quis neget? Imo vero incurrit in mentem doctus homo generis Alexandrinorum, scholiastarum more id agentium, ut alicui loco alicuius scriptoris quam clarissima lux affunderetur. Re vera haec suspicio confirmatur comparatis scholiis, quae cod. antiquissimus Aeschinis oratoris, Coislinianus f., quem X. saeculi esse putant, praebet ad locum 1, 126, ubi vox Βάταλος et 2, 99, ubi Ἀργᾶς, quorsum quaeque spectet, eodem fere quo apud Plut. ordine explicatur:

Plut. c. 4:	Schol. cod. coisl. ad Aesch. 1, 126, or. Att. edid. Baiter et Sauppe II pg. 22 b 28 sqq.
1. ἦν δὲ ὁ Β., ὡς μὲν ἔνιοί φασιν αὐλητὴς τῶν κατεαγότων, κ. δραμάτιον εἰς τοῦτο κωμῳδῶν αὐτὸν Ἀντιφάνης πεποίηκεν	1. ὠνομάσθη δέ φασιν οἱ μὲν ἀπὸ Βατάλου αὐλητοῦ μαλακοῦ
2. ἔνιοι δέ τινες ὡς ποιητοῦ τρυφερὰ κ. παροίνια γράφοντος τοῦ Β. μέμνηνται	2. οἱ δὲ ἀπὸ ποιητοῦ κατεαγότα κρούματα γράφοντος[1])
3. δοκεῖ δὲ κ. τῶν οὐκ εὐπρεπῶν τι λεχθῆναι τοῦ σώματος μορίων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι βάταλος	3. εἰσὶ δ' οἳ βάταλον προσηγόρευον τὸν πρωκτόν.

Restant verba καὶ δραμάτιον εἰς τοῦτο κωμῳδῶν αὐτὸν Ἀντιφάνης πεποίηκεν; sed et haec forsitan cum alia eiusdem cod. coislin. annot. ad or. 1, 126 allata consentiunt: δοκεῖ δέ μοι λελέχθαι παρὰ τὸ Εὐπόλιδος σκῶμμα, dummodo fieri potuisse concedas, ut Plutarchi aut commentatoris errore nomen poetae confunderetur.

Quae Deinde Plut. nullo modo ad prius inceptum concinentia habet de cognomine Ἀργᾶς Demostheni tributo, eadem ex scholiis profluxisse fortasse conicias, si contuleris:

Plut. c. 4:	et schol. cod. coislin, ad or. 2, 99 (or. Att. II p. 33 b. 33 sqq.)
1. ὁ δ' Ἀργᾶς — ἢ πρὸς τὸν τρόπον ὡς θηριώδη κ. πικρὸν ἐτέθη· τὸν γὰρ ὄφιν ἔνιοι τῶν ποιητῶν ἀργᾶν ὀνομάζουσιν·	1. ἀργᾶς δὲ καλεῖται ὁ ὄφις (παρὰ Δωριεῦσιν). θέλει οὖν αὐτὸν ὀφιώδη τὸν τρόπον κ. οἱονεὶ θηριώδη κ. ἀπάνθρωπον
2. ἢ πρὸς τὸν λόγον ὡς ἀνιῶντα τοὺς ἀκροωμένους	2. ἄλλως· εἶδός τι ὄφεως ἀναιρετικοῦ· ἢ ὁ ἀργῶν ἀπὸ τῶν ἄλλων, γράφων δὲ λόγους
3. καὶ γὰρ Ἄργας τοὔνομα ποιητὴς ἦν νόμων πονηρῶν κ. ἀργαλέων.	3. ἢ ἀπὸ ποιητοῦ καλουμένου οὕτω πονηροῦ.

---

[1]) Quae scholiasta praebet depravata esse et aliquot verbis transpositis sanari posse videntur, hoc modo: αὐλητοῦ κατεαγότα κρούματα γράφοντος, οἱ δὲ ἀπὸ ποιητοῦ μαλακοῦ (Christ).

Sed ne Plutarchum ea ex codicis alicuius annotationibus excerpsisse putemus, monendum est auctorem stirpis tales minutias curasse et accurate de extemporali facultate vel de plebis studiis vel de morte Demosthenis quicquid tum ferebatur coacervavisse. At quis locus Satyro fuisse potest haec proferendi? Nam caret ratione opinari eum et antecedentia eodem verborum et sententiarum ordine ac serie, ut nunc legimus, Plutarcho subministrasse, cum eum nequaquam adeo elegantis iudicii expertem fuisse manifestum sit. Sed hoc in aptius tempus differo (ad cap. 14).

Capita 5—11 una eademque ratione aestimanda sunt; neque enim auctorem huius partis fugit, quo quidque referat; itaque omnia tam bene inter se cohaerent, ut etiamsi Plut. c. 11 extr. non diserte demonstraret se eam materiam resecare, aperte perspiceremus eum uberrimam materiam ab aliis iam coacervatam et continua oratione tractatam breviter forsan hic illic restrictam transscripsisse.

Atque cap. 5, quo exponitur, quomodo Dem. ad artem oratoriam impulsus sit, ad Hermippum referendum esse p. 10 sqq. demonstratum est.

C. 6 init. propriae cuidam sed pulchrae sententiae occurrimus. Namque postquam Plut. cum reliquis biographis consentiens (cf. Pspl. 844c, Phot. 492, 30 inprimis ex Midianae § 80), sed neglecta nominum mole tradidit Demosthenem inter viros receptum bona sua a tutoribus perfidissimis repetere coepisse et a devictis ne minimam quidem partem extorquere potuisse, addit, sicut Laomedo, ut vitio cuidam splenis mederetur, longis usus cursibus praestantissimus cursor factus sit, ita Demosthenem, cum primum bona paterna recuperandi causa orare coepisset, ea re peritiam vimque sibi parasse, quibus fretus res publicas tractare aggressus sit.

Haec consentiunt cum Aesch. 3, 255 extr., cuius loci vestigia et cap. 4 apparere vidimus, quo velim respicias.

C. 6 extr. — c. 8 init. uberrime exponitur, quomodo a quibusdam amicis fiducia et perseverantia inflammatus corporis vitia et orationis asperitatem potissimum apta actione et summa virium attentione sanaverit.

Inde factum esse, ut non naturali, sed labore parta facundia vique dicendi praeditus crederetur; eadem de causa et quod populi amicus fuerit raro eum ex tempore verba fecisse.

Deinde c. 9 et 10 etiam accuratius explicatur quousque Demosthenis extemporalis facultas pertinuerit, postremo c. 11 scriptor revertitur ad rem c. 8 relictam denuoque Demetr. Phal. testem oculatum afferens, quanto cum studio Demosthenes obstacula eloquentiae devicerit, quidque actione effecerit, denique stirpem, postquam denuo monuit eum in extempore dicendo

facetiis quoque usum esse, deserit et verbis iam saepius memoratis c. 11 extr. hanc rem a fonte etiam uberius sibi oblatam praecidit.

Hisce septem capitibus Plutarchus solito uberius atque a ratione, quam c. 3 huius ipsius vitae professus est, discedens exposuit, quomodo Demosthenes ad summum artis gradum escenderit. Talia ab Hermippo tractata esse et certis signis (ἐκ τούτου δόξαν εἶχεν ὡς οὐκ εὐφυὴς ὢν κ. τ. λ. coll. cum Hermippi fr. 59) et eius studio, ut a partibus plebis praeclaros viros stetisse commonstraret, comprobari iam supra indicavi.

Neque autem credibile est eum haec omnia tam large Plutarcho suppeditasse, nam quamvis auctore Dionys. Halic. (fr. 58) ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις fuerit, tamen inde, quod de Isaeo nihil nisi haec dixit: καθηγήσατο Δημοσθένους, συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων colligendum est eum brevioribus verbis et de reliquis oratoribus et illustribus viris disseruisse. Cogimur in eandem sententiam eis quae capitibus 9—11 traduntur; nam licet prior pars (c. 9) ab eo profecta sit, tamen Eratosthenis et Aristonis mentione ab eo avertimur. Contra c. 11 tam diserta Hermippi mentio fit, ut appareat eum proxime antecedentia verba Plutarchi auctori ad manus dedisse; nec cur reliqua ex eo non fluxerint, ullam causam reperio.

Num c. 9 forma dialogi a Plutarcho, qui eius admodum amans fuerit, usurpata an ex fonte primario translata sit, ad rem non pertinet; nam certe, quae hoc capite continentur, non ipse collegit, sed aliunde i. e. ex stirpe hausit; addo, quod hoc cap. de Pythone refertur, spectare ad Dem. 18, 136.

Item paululum refert et difficile dictu est, num c. 5—11 Theopompea insint; si insunt, Plutarchus ea vix adiecit; idem vix ex aliis scriptoribus ipse supplendi causa quicquam intrusit; nam fontem tam large fluxisse apparet, ut eum praecidisse potius quam amplificasse videatur (cf. quae Psplut. et Phot. et Philodem. c. rhet. 4, 16 sq. p. 122 sq. ex Demetrio repetierunt cum eis, quae Plut. exhibet); praeterea nonnulla in tempus reservavit, ut suo quidque loco uteretur.

Cap. 12 init. maiore ex parte Plutarchus ipse composuisse videtur; nam verba ὥρμησε μὲν . . . συνεστῶτος ad Dem. 18, 18 referri possunt, quam orationem ipse studiose legerat. Etiam verba δῆλος δ' ἐστὶ . . δύο μὲν ἐπὶ τοῖς τριάκοντα γεγονὼς ἔτη ab ipso ex or. c. Mid. § 154: ὃς δύο καὶ τριάκοντα ἔτη γέγονα et reliqua verba μηδέπω δ' ἔχων ἰσχὺν ἐν τῇ πολιτείᾳ κ. δόξαν sicut paulo infra sequentia: ὁρῶν δ' οὐ φαῦλον κ. φίλοις εὖ πεφραγμένον ex Midiana colligi potuerunt, quam orationem eum accurate cognovisse intellegere licet cum ex libro de educ. 9, quo loco aliquid ex hac oratione (§ 191) transscripsit, tum ex proprio quod ferre audet iudicio.

etiam nomina scriptorum tum fere aequalium tum posteriorum. Licet enim Hermippus Callimacheus vitam ultra annum 203 aliquot annis deduxerit, Aristo Ceus, quem inde ab anno 226 Peripateticorum rectorem fuisse accepimus, flore aetatis de Demosthene quae eius fide nituntur scripserit, Eratosthenes, qui anno 275 natus 194 decessit, prima iuventute, quae huc pertinent, consignaverit, tamen, si Hermippum non extrema aetate vitas illas composuisse crediderimus, eum ad illorum libros sua concinnasse putare dubitabimus. Quamquam me non fugit Eratosthenem quoque Callimacheum fuisse et in regenda bibliotheca Alexandrina Callimacho successisse, neque esset cur Aristonem, qui ipse quoque Peripateticorum familiae addictus esset, Hermippo scripta sua impertivisse data opera negarem, nisi alia restaret via, quam ut ingrediar, pluribus indiciis cogor.

Vestigia enim apparent scriptoris cuiusdam, qui inter annum 181 et 146a Chr. n. floruit, et Peripateticorum asseclam ipse quoque se profitens Demosthenis vitam condidit.

Nam nescio quo favore fortunae Pspl. 847a, ubi alios scriptores alia morte Demosthenem occubuisse tradidisse mira quadam diligentia explicatur, docemur: Σάτυρος δὲ ὁ συγγραφεὺς τὸν κάλαμον πεφαρμάχθαι, ᾧ γράφειν ἤρξατο τὴν ἐπιστολήν, οὗ γευσάμενον ἀποθανεῖν. Plutarchus autem c. 29 hanc narrationem secutus copiosiusque interpretatus c. 30 Aristonem eius rei testem nominat. Quae cum ita sint, Satyrus sine dubio Aristonis vestigia pressit et quae hic tradiderat adoptavit et fusius explanavit.

Quoniam igitur scriptorem repperimus, qui scriptores post Hermippum florentes, Eratosthenem et Aristonem, excussisse videtur, refert examinare, num Plutarcho aliqua re se commendaverit et alio iam loco usui fuerit. Qua in re dolendum est, quod ob paucitatem fragmentorum parum liquet, qualis fuerit. Sed praedicatur eius doctrina ab Hieronymo de viris illustr. II 822 hoc modo: Hortaris me, ut — ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram et quod ille in enumerandis gentilium literarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam . . . fecerunt quidem hoc idem apud Graecos Hermippus peripateticus, — Satyrus doctus vir. —

Amplitudine autem huius vitae (Βίοι τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν) fuerunt tanta, ut iam Heraclides Lembus, homo ei subaequalis, in compendium eas redigeret. Quid vero? Plutarchus, qui Satyri nusquam neque in Demosthenis vita neque in alia vita mentionem facit, eum excussisse existimandus est? Re vera hoc fuit omnino antiquorum rerum scriptorum, inprimis Plutarchi proprium, cum diversos adhiberent auctores et, quae a singulis tradita essent, referrent, ut ipsos laudare solerent; sed eidem, cum unum eundemque auctorem longius

Nam nisi hoc loco Plut. talia nusquam invenisse mihi persuasum est. Quod maxime comprobatur eo, quod Plut. deinceps ad rem plane diversam transit.

Sed antequam progrediamur, oportet ex rebus modo tractatis Plutarchi quale fuerit iudicium quaerere. Namque praeclaro hic locus documento est eum in malam partem ire non solitum esse, priusquam rem ita sese habere perspexisset; itaque Aeschinem cum vidisset Demosthenem ignaviae arguere, non secutus est, priusquam Demetr. Phalereum, cuius fides propter Demosthenis familiaritatem minime suspecta erat, simile tradidisse cognovisset; tum demum Aeschinis verbis uti ausus est:

Plut. c. 14:	Aesch. 3, 173—174:
τῷ δ' ἄνωθεν ἐκ Σούσων κ. Ἐκβατάνων ἐπιβατὸς χρυσίῳ γεγονὼς καὶ κατακεκλυσμένος, ἐπαινέσαι μὲν ἱκανώτατος ἦν τὰ τῶν προγόνων καλά, μιμήσασθαι δ' οὐχ ὁμοίως.	νῦν μέντοι τὸ βασιλικὸν χρυσίον ἐπικέκλυκε τὴν δαπάνην αὐτοῦ § 174: οἱ μὲν λόγοι καλοί, τὰ δ' ἔργα φαῦλα

Verbis φαίνεται δὲ καὶ rem plane novam atque ab hoc loco, ut mihi videtur, alienam adiungit: narrat, quanta libertas ex iis quae dixit eluceat. Voce φαίνεται se ipsum eam opinionem ex Demosthenicarum orationum studio concepisse indicat; quam rem fortasse Theopompus ei subministraverat, qui subinde testis affertur, et, cum illustrissimum quemque virum ab optimatium partibus, quas ipse summo ardore secutus est, stetisse probare studeret, sine dubio παρρησίαν illam optimatium studii testimonium esse contendit. Accedit quod hic locus ab eo, quo Plut. (c. 8 extr.) stirpem secutus summo opere Demosthenem vere popularem fuisse comprobavit, dissidet.

Iam Theopompum ipsum Plutarcho praesto fuisse manifestum est; nam si stirps ea praebuisset, c. 8 his diversis iudiciis inter se comparatis alterutram in partem diiudicatum esset. Ceterum eadem praeter Dinarchum 1, 62—63 Demosth. 18, 132—133 narrat. Quae si cum Plutarchi verbis comparaverimus, cognoscemus eum ad Demosthenis verba ita se applicasse, ut eisdem fere verbis servatis eum exscriberet; una vox ἀριστοκρατικὸν cum Dinarcheo ὀλιγαρχ. magis concinit, quam cum Demosthenico: ὡς ἐν δημοκρ. δεινὰ ποιῶ.

Plutarchea verba καὶ παρ' οὐδὲν τὸ προσκροῦσαι τῷ δήμῳ θέμενος neuter eorum praebet. Quid ergo?

Equidem sic statuo: Plut. huius rei non meminisset, nisi eam Theop. verbis ἀριστοκρ. σφόδρα αὐτοῦ πολίτ. κ. τὸ π. Ἀντιφῶντος delineavisset;

modo cognovimus; deinde ille locus doctrinam prae se fert et praeterea ad comicorum auctoritatem respicit, quos adisse Plutarchum ipsum negamus, denique tam arcte cum ceteris coniunctus est, ut seiungi non possit. Atque quamquam certis nixi Demosthenis vitae indiciis Plutarchum ipsum ad Demosthenis vitam conscribendam Midianam studiose legisse censemus, tamen aliud est aliquam notitiam inde decerpere ac morum et vitae perspiciendorum causa totam orationem perscrutari. Nam et illud hominis docti Alexandrini est neque, qui mores cognoscere studet, facere potest, quin praeter or. de cor. eam potissimum adeat.

Ceterum tenendum est verisimile esse Plutarchum, cum vidisset fontem primarium saepius ad illam orationem se referre, ipsum eam evolvisse et diligenter pervestigavisse.

Quid ipse hauserit, quid descripserit exponere ab hoc loco abhorret; hoc monendum fuit iam ante Plutarchum Satyrum Midianam excussisse certa indicia exstare.

Ita hanc quaestionem sane plenam difficultatum dissolvisse cum aliqua probabilitate nobis videmur.

Quoniam igitur undecimum quoque caput vitae Alcibiadis ex Satyro desumptum esse constat, cum decimum et duodecimum sicut antecedentia ex eodem fonte hausta sint, fragmentum autem illius carminis epinicii in Dem. vitae cap. primo prolatum ad eam partem vitae Alcibiadis referendum sit, quae sine dubio ex Satyri stilo fluxit, necessitatem memoratu dignam inter utramque vitam intercedere quis est qui neget? —

Hoc loco aliud quoque paucis absolvam.

Etenim mirum est, quod Plut. Idomeneum Lampsac., cuius et aliis locis et in Demosth. vita bis mentionem facit, in alia re prorsus neglexit. Legimus enim fr. 13 (ap. Athen. XIII 592 F, Müller II 492) Idomeneum fabulam quandam a Demosthene ipso in Midiana refutatam iterum repetiisse aliudque convicium insuper in libidinem Demosthenis congessisse: ἀκόλαστος δ' ἦν ὁ ῥήτωρ περὶ τὰ ἀφροδίσια, ὥς φησιν Ἰδομενεύς. Ἀριστάρχου γοῦν τινος ἐρασθεὶς μειρακίου καὶ δι' αὐτὸ παροινήσας εἰς Νικόδημον ἐξέκοψεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς κ. τ. λ. Idem cum Hermippus receperit (cf. fr. 59 iam supra alia de causa allatum), Satyrum quoque transscripsisse verisimile est; nam hi viri docti, qua erant diligentia, etiam quae commenticia esse cognoverant, in usum suum convertere solebant. Quanam igitur causa Plutarchus hanc rem commemorare prorsus supersedisse videtur? Nam quod Plutarchus. quo veritatis studio imbutus erat, maligniores scriptores a se removit, ea re non demonstratur cum Idomenei verba ne mentione

ingenio talia maxime fuerunt absona; quod, etiamsi non ipse profiteretur, c. 3, c. 8 et 11 atque etiam c. 15 extr., si etiamnunc nos fugeret, luculenter doceremur; nam c. 8 Demetrii Phal. expositionem resecuisse eum videri cognovimus, c. 11 extr. et c. 15 extr. se harum rerum nec studiosum nec diligentem fuisse aperte dicit. Quaeritur igitur, quis auctor Plutarcho has res literarum scientiae plenas suppeditarit. Atque cum Plut. has vitas perscripsit, Dionys. Halic. et Caecilius Calact. in orationes clarissimorum oratorum inquisiverant. Constat autem Caecilium aliquanto post Dionysium, cuius aequalis et familiaris erat, decem, qui praestantissimi essent, oratores ex magno oratorum Atticorum numero elegisse eorumque orationes tamquam canonem et regulam artis oratoriae constituisse. Hac re potissimum ductum Burckhardtium[1]) non temerarie coniecisse arbitror Dionysium a Caecilio compilatum esse. Quid inde efficitur? Nempe Caecilium postremum fuisse rhetorem, qui has res diligenter sit perscrutatus; cognoscitur autem eius doctrina schol. ad Aesch. de fals. legat. 3, 1 (fr. 12b Burckh.), unde eum Demetrii Phal., Idomenei, Hermippi scripta in suum usum convertisse apparet. Quid inde colligendum? Plutarchum, qui c. 3 ad Caecilium in simili re spectavit, hunc doctissimum virum hisce in rebus consuluisse. Neque iam mirum est, quod Idomeneum et Demetrium Magnetem, homines Caecilium aetate antecedentes, affert.

Sed etiam reconditioribus indiciis hoc comprobatur. Nam Psplutarchi liber de X orat. inscriptus, qui, si Burckhardt (p. 51 l. m.) recte disputavit, — neque est cur dubitemus —, Caecilii auctoritate, ubicunque de orationum spuriarum aut genuinarum numero et de oratorum genere dicendi iudicatur, nititur atque partem quandam ex eius stilo profectam continet[2]), nihil, quod a Plutarcho dissideat, tradit, quin imo nonnullis in rebus certam necessitudinem intercedere videmus. Legimus enim ap. Pspl. 840c: εἰσὶ δὲ οἵ φασι συγγράψαι μὲν τοὺς ῥήτορας τοὺς λόγους, ἐμποδὼν δὲ γενομένων τῶν περὶ Χαιρώνειαν μηκέτι τὴν δίκην εἰσελθεῖν. Quid aliud dicit Plut.? ἀλλ' οὐκ ἔοικεν οὕτως ἔχειν τἀληθές, εἰ δεῖ τοῖς περὶ στεφάνου γεγραμμένοις ἑκατέρων λόγοις τεκμαίρεσθαι κ. τ. λ.

Causam tantummodo addit, quare Demosth. eam orationem non habuisse videatur, quam in opinionem eum ipsum non incidisse, quisquis Plutarchum novit, concedet; sed cum ipse orationem de cor. magna ex

1) 'Caecilii rhet. fragm. coll. etc. Th. Burckhardt' Basileae 1863, p. 52.

2) incipit autem haec pars, ut B. vult, semper verbis φέρονται δὲ, καταλέλοιπε δὲ —, qua in re B. nimis caute egit; nam ut hae voces certa Calactini indicia sunt, ita, quae ex eo sunt, his demum verbis semper incipere necesse non est.

parte excerpsisset, quod quidem paullo infra clarius demonstrabitur, quidni ipsius sententiam interponeret (ἀλλ' οὐκ ἔοικεν ..), sive is quem secutus est in eandem sive in contrariam partem cesserat? Ceterum etiam ex iis, quae aetatem tulerunt, Caecilianis non elucet, quam hic sententiam adoptaverit.

Etiam luculentius documentum Plut. c. 15 Caecilium excussisse efficitur collato loco quodam cum eis, quae Gell. 15, 28 servavit: 'Illud adeo ab utriusque oratoris studiosis animadversum et scriptum est, quod Demosth. et Cicero pari aetate inlustrissimas orationes in causis dixerunt, alter κατὰ Ἀνδροτίωνος et κατὰ Τιμοκράτους septem et viginti annos natus, alter anno minor pro P. Quinctio septimoque et vicesimo pro S. Roscio.'

Atque cum Plut. c. 15 med. haec habeat: τῶν δὲ δημοσίων ὁ μὲν κατ' Ἀνδροτίωνος κ. Τιμοκράτους καὶ Ἀριστοκράτους ἑτέροις ἐγράφησαν, οὔπω τῇ πολιτείᾳ προσεληλυθότος· δοκεῖ γὰρ δυοῖν ἢ τριῶν δέοντα ἔτη τριάκοντα γεγονὼς ἐξενεγκεῖν τοὺς λόγους ἐκείνους et ap. Dionys. Halic. (ep. ad Amm. I 4 p. 744 Reiske) haec legamus: καί ἐστιν αὐτοῦ πρῶτος τῶν ἐν δικαστηρίῳ κατασκευασθέντων ἀγώνων ὁ κατὰ Ἀνδροτίωνος, ὃν γέγραφε Διοδώρῳ τῷ κρίνοντι τὸ ψήφισμα παρανόμων — nonne Caecilium, cum iam Dionysius eius familiaris, hanc fuisse primam Demosthenis causam publicam eruisset, in 'comparatione Cic. cum Demosth.' (Plut. Demosth. c. 3) hoc sic supplevisse, ut Gell. et Plut. ex eo transscripserunt, verisimillimum est? Colligimus enim hoc modo: Dionysius Gelliana nondum praebet, Plut. aut Dionysium aut Caecilium de utroque scriptore consuluit, atqui Caecilius primus σύγκρισιν τοῦ Δημ. κ. Κικ. scripserat, Plutarchus eam ipse cognoverat, certum igitur est Caecilium a Plutarcho in hac re adhibitum esse.

Libet paulisper ad ea, quae Plut. c. 12 de or. Midiana explicuit, respicere; certe enim Plut. verbis μοι δοκεῖ indicat, ipsum se in ea oratione versatum esse; contra quis ei singula subministraverit, utrum stirpis auctor an Caecilius, difficile dictu. Si autem Caecilium ei ob oculos fuisse tenemus, non iam est, cur eum etiam ad cognoscendam Midianae condicionem Caecilium adhibuisse negemus.

Cap. 16 Plut. ad ea, quae c. 12 verbis: ταχὺ δόξαν ἔσχεν δημαγωγούντων attigerat, revertitur, quin recurrunt eadem verba s. in: διὸ κ. παρὰ Φ. πλεῖστος ἦν λόγος αὐτοῦ. Cur supra ab argumento aberravit oratio? Facile hoc intelleges, modo reputes eum, ut Theopompi, qui Demostheni inconstantiam crimini dederat, iniquius iudicium infringeret atque omnino de virtutibus et vitiis Demosthenis accuratius comperiret, ad alios fontes se convertisse. Itaque Panaetio nixus, quod honestum propter se ipsum fieri voluisset, laudavit, Demetrium secutus, quod neque in armis satis

laudatus neque adversus corruptelas munerum satis undique munitus fuisset, vituperavit; contra vitam privatam omni labe carere affirmat; inprimis laudabile esse, quod multitudinis cupiditatibus non cessisset. Deinde Theoridis sacerdotis, quam Dem. nihil veritus in ius vocavisset, mentione etiam magis de via depulsus, quas causas oravisset, pluribus explicavit nescius ni fallor, ubinam postea hanc rem melius absolvere posset.

Iam vero c. 16 ad propositum redit neque deinceps, quibus rebus publicis Demosth. sibi illam immortalem laudem pepererit, exponere desinit. Verbis φανερὰ ἦν ipsius Plutarchi vestigia aperiuntur; spectat haud dubie ad Demosthenis oratt. Philippicam II., de Cherson., Philipp. III.; vix enim haec verba ad Dem. 18, 20—22 pertinent. Praeterea vox διακαίοντος ex c. 18 s. m. (ἡ δὲ τοῦ ῥήτορος δύναμις — διακαίουσα τὴν φιλοτιμίαν) repetita documento est Plutarcho etiam sequentia ob oculos versari. Sententiarum enim diversitatem video nullam (contra Roesig. p. 41).

Unde reliqua huius capitis hausta sint quaerens, inter Aeschinem et Theopompum dubius haereo. Nam, quod Plut. de Demosthenis legatione ad Philippum tradit, ab Aeschine, qui (de f. legat § 38) haec habet: πολλάκις μου τοὔνομα ἐν τοῖς λόγοις ὠνομάζετο. πρὸς δὲ Δημοσθένην τὸν οὕτω καταγελάστως ἀπαλλάξαντα οὐδ' ὑπὲρ ἑνὸς οἶμαι διελέχθη prorsus abhorret. Itaque quamvis Schaefero II 191 applaudamus monenti, ne Aeschinem quidem confidenter contendere audere Philippum Demosthenis verba omnino non respexisse, tamen tantum interest inter Plutarchi et Aeschinis verba, ut ea conferre prorsus non liceat. Itaque aut Plutarcho ingens quaedam licentia insolitave memoriae infirmitas vitio est danda aut scriptor aliquis aequalis, qui Aeschinis mendacium correxerat, ei in manibus fuit. Qui quin Theopompus fuerit, dubium non fore existimo, cum ad Aeschinis narrationem (de f. leg. § 112: ἐκεῖνα δὲ ἤδη κ. σφόδρα διωρθοῦτο· οὐκ εἶπον, ὡς καλὸς εἶ· γυνὴ γὰρ τῶν ὄντων ἐστὶ κάλλιστον. οὐδ' ὡς δεινὸς συμπιεῖν· σπογγιᾶς τὸν ἔπαινον ὑπολαμβάνων τοῦτον εἶναι. οὐδ' ὡς μνημονικός· σοφιστοῦ τὰ τοιαῦτα νομίζων ἐργολαβοῦντος ἐγκώμια εἶναι) et subsequentia verba (ὅθεν ἐπαινούντων . . . . . . ἐγκώμιον) in Philippi ignominiam dicta optime quadrent. Nam constat — id quod supra monuimus — Theopompum data opera Demosthenis quoque cavillationibus nixum Philippi imaginem effinxisse teterrimam; eundem cur Aeschinis orationes ad eam rem non compilasse putandum sit?

Quod utcunque se habet, ex Aesch. or. de f. leg. in hanc vitam praeter hos duos locos (§ 38 et 112) nihil transisse invenio, nisi quod Plut. c. 4 — quo quaeso respicias — Demosthenem Batali cognomen a pueris propter mollitiem corporis accepisse tradit, cui similem traditionem

stirpis ipsa vita praebentur, quod singulorum capitum examinatione etiam clarius fore spero. Quid quod non incredibile est Pseudoplutarcheam quoque Demosthenis vitam ad talem stirpem revocandam esse.

Haec fere de stirpe dicenda erant. Quae ut reticerem, a me impetrare non potui, quamquam Satyri nomen adhuc sane obscurum fuisse haud ignoro. Neque enim utile esse existimo, quae mihi diu ac diligenter, ut quem scriptorem Hermippo, Aristone, Eratosthene aetate minorem investigarem, historias perscrutanti invenire contigit, prorsus abicere.

Iam vero explicandum erit, cur alios insuper scriptores adhibuisse, deinde quos contulisse videatur.

Atque neminem fugit Plutarchum in vitis virorum clarissimorum describendis de muneribus publicis fere nihil aliud, nisi quod omitti non posset, afferre solitum esse, ad indolem autem moresque illustrandos plurimis verbis usum esse et narratiunculas faceteque dicta cumulasse, quod ipsius verbis (Alex. c. 1) satis declaratur. At stirps earum rerum largam materiam praebuit. Cur hac contentus non erat? Plutarchi non erat exemplum tamquam defixis oculis sequi nec satis habuit audivisse Demosthenem his illis moribus usum esse, sed sciscitabatur, quibus factis meruerit, ut talia iudicia de eo homines docti posterioris aetatis ferrent.

Veritatis igitur studio impulsus mihi quidem ad scriptores magis res respicientes delatus esse videtur; accedit quod vero artium liberalium studio, penitus commotus admiratione, memoriam condere voluit nobilissimorum antiquitatis virorum.

Deinde si, quos contulerit, mihi dicendum est, quibus ex fontibus quam plurima haurire posset haud ignorabat. Etenim qui posuit lectores praeclarissimorum scriptorum notitiam habituros esse (Nic. cap. 1), non potuit non ipse interiore cognitione clarissimorum literarum luminum instructus esse.

Atque primum quidem Theopompo aliis in vitis permulta debet. Quid? eumne potissimum excussit scriptorem, quem propter malignitatem non semel severe reprehendit? cf. exempli causa Lys. c. 30, de malign. Herod. p. 855a, quocum et quae Dionys. Halic. de vet. script. cens. 3, 3 et de compos. verb. 4 p. 30 dicit et aliorum censura conveniunt.

At Plut., ubicunque ipse propria rerum investigatione iudicio valere se vidit, ipse quae a vero abhorrere sibi viderentur aut repudiavit aut tamquam ad obrussam exegit; quin etiam hoc modo accuratiorem imaginem eorum quos celebrabat se habiturum speravit. Praeterea eo, quod hic Demosthenis aequalis et ingenio prae omnibus insignis fuit, Plut. pellectus esse videtur,

ut eum crebrius adiret; nam scriptores ingeniosi habent magnam ad animos legentium vim et ita se in eos insinuant, ut hi ab eis discedere nequeant. Adde quod eis, quae Dionys. Halic. l. m., qui reliquos rerum scriptores acerbissime recensuit, in Theopompo praedicat, dispositionis elegantia et quod omnia secreta virtutis fucatae et vitii latentis detexerit et in apertum protulerit, maxime Plutarcho morum studiosissimo investigatori placuisse existimandus est. Ceterum Theopompus vere historicus est neque ut stirpis scriptor mores, quales fuissent, depinxit, sed res et facta, quibus hi cognosci possent, prodidit.

His de causis etiam ad Demosth. vitam eius Φιλιππικὰ usurpata sunt. Et septies quidem nominatim affertur, praeterea quibusdam fragmentis (ap. Muellerum fr. h. Gr. I 258 sqq.) velut quibus de pugna Chaeronensi traditur, cum Plutarchi narratione tam congruentia referuntur, ut hic etiam saepius Plutarcho usui fuisse videatur.

Neque vero in decimo libro, cuius partem quandam de demagogis egisse Athen. IV 166 D et scholiasta Luciani Tim. c. 29 auctores sunt (cf. Müller fragm. I p. 293 et 294), Plutarchus, quae ex eo in vitam Demosthenis transscripsit, invenit, licet illo libro de pristinis demagogis (Cimone, Themistccle, Aristide, Pericle, Cleone, Hyperbolo, Alcibiade?, reliquis) digressionibus factis accuratius exponeretur. Contra in Demosthene dubium non est, quin Theopompus, cum ille in republica primum apparuit, vitam eius paucis adumbrarit, deinde suo quoque loco, quotiescunque Demosthenes rebus interfuit, diserte eius factorum mentionem fecerit.

Praeter Theopompum ex multis et apertis et remotioribus indiciis manifestum fit eum Demosthenis orationes tres diligenter perlustrasse: de corona, contra Aphobum primam, contra Midiam; hae orationes, quas Plut. sine dubio iam dudum in scholis cognoverat et decantaverat, inprimis idoneae sunt, quibus expressa summi oratoris effigies in animis efficiatur. Hoc praecipue cadit in or. de cor., quam non solum rerum cognoscendarum causa examinasse videtur, sed ut iudicium sibi fingeret, quo nixus adversus Theopompi acerbitatem, addo et Aeschinis cavillationes, confidenter pugnare posset. Nam certo evinci potest eum Aeschinis or. in Ctes. satis accurate adhibuisse, quamquam ut solebat saepius suo arbitrio nimis indulsit. Sed ne Plutarcho nimiam incuriam crimini demus, apertis indiciis docemur nonnullis locis et Theopompum Aeschinis in vestigiis stare, (c. 4, 14) c. 18 extr., quibus de locis suo tempore dicendum erit. Etenim prorsus incredibile est Plutarchum in ea parte vitae, quae haud dubie ex Dem. et Aesch. orat. Theopompique historia conflata est, ipsum

locos quosdam ab Aeschinis et Demosthenis narratione dissidentes suo arbitrio ita immutasse, ut aut contraria diceret aut, quae nisi aequali scriptori nemini nota esse potuerunt, adderet. Deinde Ruehl[1]) animadvertit Plutarchum Cim. c. 7 ad Aesch. or. in Ctes. § 183 sqq. spectare; qui orationi inseruerat Cimoni ob victoriam ad Strymonem reportatam tres hermas positos esse idque, quamquam in iis non ipsius ducis Cimonis nomen inscriptum esset, sed solius populi, magni honoris Cimoni testimonium et fuisse et esse. Quam rem cum Plut. l. m. eadem fere brevitate narret, Ruehl suo iure ex Aeschine repetitam esse monuit. Atqui Plutarchus et ante et post ea eodem Ruehlio probante Theopompea refert. Nonne inde suspicio etiam magis confirmatur Theopompum saepius ex Aeschine hausisse? Quin imo exploratum est eum, cum effigiem hominum illustrium depingebat, adversarios sequi solitum esse; velut, ut luculento exemplo utar, in Philippi moribus illustrandis Demosthenem minime sprevit (cf. fr. 249 et Dem. Olynth. II 18 sqq.); pertinent huc etiam aliquae res a Diodoro traditae; neque enim habemus, quod in ea re ab Haakio[2]) dissideamus monente, quicquid apud Diodorum Demosthenem redoleat, a Theopompo profectum esse, quem Philippum ob morum pravitatem severe castigasse ex Polyb. VIII 11 et fragm. 249 elucet.

Sequitur ut coniciamus Theopompum, cum Demosthenis omniumque demagogorum Philippo adversantium mores describeret, adversariorum orationes adisse. Cui sententiae non modo non absonum est, verum etiam favet, quod Theopompum Philippica post annum 324 edidisse duobus fragmentis (fr. 334 ap. Polluc. V 42; fr. 108 ap. Plut. Demosth. c. 26) cognoscimus; itaque fieri potuit, ut Aesch. or. in Ctes. in manibus haberet. Sed eandem rem, quo clarior fiat, ubi primum locus datus erit, paucis retractabo (ad cap. 4).

Reliquos auctores delibatos tantum esse suo loco docebo. Quoniam hoc modo in universum, quos potissimum auctores Plutarcho in Demosth. vita praesto et maximo usui fuisse putandum sit, disputavi, quid ex libro ipso elici possit, experiendum est.

C. 1—3 ex Plutarchi stilo fluxisse et rebus narratis et nexu sententiarum et sententia communi comprobatur.

C. 3 explicat se ex actionibus naturas moresque Demosthenis et Ciceronis comparaturum esse Caeciliique Calactini rationem abicit, qui temere σύγκρισιν τοῦ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος scribere ausus sit.

---

[1]) Ruehl 'die Quellen Plutarchs im L. des Cimon' Marbg. 1867, p. 26 sq.

[2]) Haake 'de Duride Samio Diodori auctore' Bonnae 1874, p. 48.

Quae in his capitibus insunt, omnia aut ex memoria aut ex ingenio repetivisse videtur.

Itaque, postquam breviter adumbravit, quomodo utriusque mores et fortuna convenirent, ad Demosthenis vitam accedit.

C. 4 init. Plut. ipse diserte Theopompum laudat, quo ipso loco suspicio movetur hunc saepe ex Aesch. orationibus hausisse; nam Theopompus ap. Plut. congruit cum Aesch. 3, 171: τούτῳ πατὴρ μὲν ἦν Δημοσθένης Παιανιεύς, ἀνὴρ ἐλεύθερος, οὐ γὰρ δεῖ ψεύδεσθαι, et Plutarchi verba deinceps ex Aeschine, qui nominatim affertur, deprompta eodem, quem modo attulimus, loco inveniuntur vel potius proxime ei succedunt. Ex Theopompo procul dubio et quae inter hos locos iacent: ἐπεκαλεῖτο δὲ .. transcripta sunt. Neque vero, quod huius quoque notitiae apud Aesch. 2, 93 mentio exstat (καὶ σεμνολογεῖς ἡμῖν ὡς οὐκ εἰδόσι τούτοις, ὅτι Δημοσθένους υἱὸς εἶ νόθος τοῦ μαχαιροποιοῦ), tanti momenti est, ut vel Theopompum vel Plutarchum ad eam orationem recurrisse putemus, cum aequalem scriptorem tale quicquam fugisse existimari nequeat. Omnino enim moderatione utamur necesse est; itaque satis habendum est, ubicunque Theopompus nominatim allatus cum Aeschine consentit, hoc monuisse; neque enim cuiquam continget, ut pro certo contendat Theopompum Aeschinis orationes fere ad verbum compilasse, etiamsi non semper et vix diu rebus Atheniensibus interfuit.[1])

Quae de damno a tutoribus accepto narrantur, ex Dem. or. c. Aphob. II 27, 4 sqq. ad verbum congesta sunt:

Plut. c. 4:	Demosth. 27, 4:
1. ἀπολειφθεὶς δ' ὁ Δ. ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἑπταέτης	1. § 4: Δ. ὁ ἐμὸς πατὴρ κατέλιπεν — ἐμὲ ἑπτ' ἐτῶν ὄντα
2. ἐν εὐπορίᾳ (μικρὸν γὰρ ἀπέλιπεν ἡ σύμπασα τίμησις αὐτοῦ τῆς οὐσίας πεντεκαίδεκα ταλ.)	2. § 9: πεντεκαίδεκα ταλάντων γὰρ τρία τάλαντα τίμημα
3. ὑπὸ τῶν ἐπιτρόπων ἠδικήθη τὰ μὲν νοσφισαμένων τὰ δ' ἀμελησάντων,	3. conflata ex § 13 sqq., 40 sqq. § 13: — νοσφισαμένων — § 40: — ἀμελησάντων —
4. ὥστε κ. τῶν διδασκάλων αὐτοῦ τὸν μισθὸν ἀποστερῆσαι.	4. § 46: ὥστε κ. τοὺς διδασκάλους τοὺς μισθοὺς ἀπεστέρηκε.

---

[1]) Constat Theopompum ol. 107 Athenis cum Isocrate iam diu relictis in Asia commoratum esse; quo deinde se contulerit nescimus, quamquam sine dubio iterum atque iterum Athenis fuit. Ol. 111, 3 denique Alexandri gratia in patriam Chium revertit, qua 43 annos caruerat. Itaque veri dissimile omnino non est, eum ad res Athen. describendas aequalium orationes saepe et grato animo adhibuisse.

At quod deinde tradit puerum Demosthenem elegantioris et ingenuo puero dignae disciplinae expertem mansisse, manifesto repugnat cum Dem. 18, 257 (265).

Quid inde colligendum? Plutarchum hac in re alium fontem secutum esse.

Re vera Aesch. 3, 255 similiter dicit: τίνες ὑμῶν εἰσιν οἱ βοηθήσοντες Δημοσθένει; πότερον οἱ συγκυνηγέται ἢ οἱ συγγυμνασταὶ αὐτοῦ, ὅτ' ἦν ἐν ἡλικίᾳ; ἀλλὰ μὰ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον, οὐχ ὡς ἀγρίους κυνηγετῶν, οὐδὲ τῆς τοῦ σώματος εὐεξίας ἐπιμελούμενος διατετέλεκεν, ἀλλ' ἐπασκῶν τέχνας ἐπὶ τοὺς τὰς οὐσίας κεκτημένους (videl. tutores) διαγεγένηται. Atqui ne Aesch. quidem his verbis eum artium liberalium rudem fuisse ait, quin etiam extremis verbis contrarium significat. Num igitur Plut. ad vitam peculiarem confugisse videtur? At minime cogimur hoc suspicari, modo reputemus Plutarchum saepe suo iudicio nimis confisum res exiguas in maius auxisse.

Itaque cum or. c. Aphob. I, cui se paulo antea adiunxerat, haec inveniamus § 45: ὥστε κ. τοὺς διδασκάλους τοὺς μισθοὺς ἀπεστέρηκε, Plut. haec. sine dubio suo arbitrio interpretatus est; hanc in sententiam et voce δοκεῖ perducimur.

Reliqua ex Aesch. 3, 255 profecta esse verisimile est. Unde autem primam causam, cur Βάταλος vocatus sit, hauserit, multo difficilius dictu; nam etiamsi ap. Aesch. 2, 99 (ἐν παισὶν ὢν ἐκλήθη δι' αἰσχρουργίαν τινὰ καί κιναιδίαν Βάταλος) habemus, ex quo illud colligi possit, tamen nullum alium locum investigare potui, quo eum hanc quoque orationem accurate excusisse perspicue eluceat. Fieri igitur potest, ut in stirpe talia invenerit.

Alteram partem huius capitis inde a verbis ἦν δὲ ὁ Βάταλος . . . aliunde desumptam esse intelleget, quisquis comparaverit, quam cum eis quae antecedunt non concinat. Ut exemplo utar, quomodo verba δοκεῖ δὲ κ. τῶν οὐκ εὐπρεπῶν τι λεχθῆναι τοῦ σώματος μορίων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι βάταλος cum causa paulo ante prolata conveniunt. Deinde mirum quam inepte et inconcinne his minutiis perturbetur rerum ordo ac series. Quas Plutarchum quidem non undique collegisse quis neget? Imo vero incurrit in mentem doctus homo generis Alexandrinorum, scholiastarum more id agentium, ut alicui loco alicuius scriptoris quam clarissima lux affunderetur. Re vera haec suspicio confirmatur comparatis scholiis, quae cod. antiquissimus Aeschinis oratoris, Coislinianus f., quem X. saeculi esse putant, praebet ad locum 1, 126, ubi vox Βάταλος et 2, 99, ubi Ἀργᾶς, quorsum quaeque spectet, eodem fere quo apud Plut. ordine explicatur:

Plut. c. 4:	Schol. cod. coisl. ad Aesch. 1, 126, or. Att. edid. Baiter et Sauppe II pg. 22 b 28 sqq.
1. ἦν δὲ ὁ Β., ὡς μὲν ἔνιοί φασιν αὐλητὴς τῶν κατεαγότων, κ. δραμάτιον εἰς τοῦτο κωμῳδῶν αὐτὸν Ἀντιφάνης πεποίηκεν	1. ὠνομάσθη δέ φασιν οἱ μὲν ἀπὸ Βατάλου αὐλητοῦ μαλακοῦ
2. ἔνιοι δέ τινες ὡς ποιητοῦ τρυφερὰ κ. παροίνια γράφοντος τοῦ Β. μέμνηνται	2. οἱ δὲ ἀπὸ ποιητοῦ κατεαγότα κρούματα γράφοντος[1])
3. δοκεῖ δὲ κ. τῶν οὐκ εὐπρεπῶν τι λεχθῆναι τοῦ σώματος μορίων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι βάταλος	3. εἰσὶ δ' οἳ βάταλον προσηγόρευον τὸν πρωκτόν.

Restant verba καὶ δραμάτιον εἰς τοῦτο κωμῳδῶν αὐτὸν Ἀντιφάνης πεποίηκεν; sed et haec forsitan cum alia eiusdem cod. coislin. annot. ad or. 1, 126 allata consentiunt: δοκεῖ δέ μοι λελέχθαι παρὰ τὸ Εὐπόλιδος σκῶμμα, dummodo fieri potuisse concedas, ut Plutarchi aut commentatoris errore nomen poetae confunderetur.

Quae Deinde Plut. nullo modo ad prius inceptum concinentia habet de cognomine Ἀργᾶς Demostheni tributo, eadem ex scholiis profluxisse fortasse conicias, si contuleris:

Plut. c. 4:	et schol. cod. coislin, ad or. 2, 99 (or. Att. II p. 33 b. 33 sqq.)
1, ὁ δ' Ἀργᾶς — ἢ πρὸς τὸν τρόπον ὡς θηριώδη κ. πικρὸν ἐτέθη· τὸν γὰρ ὄφιν ἔνιοι τῶν ποιητῶν ἀργᾶν ὀνομάζουσιν·	1. ἀργᾶς δὲ καλεῖται ὁ ὄφις (παρὰ Δωριεῦσιν). θέλει οὖν αὐτὸν ὀφιώδη τὸν τρόπον κ. οἱονεὶ θηριώδη κ. ἀπάνθρωπον
2. ἢ πρὸς τὸν λόγον ὡς ἀνιῶντα τοὺς ἀκροωμένους	2. ἄλλως· εἶδός τι ὄφεως ἀναιρετικοῦ· ἢ ὁ ἀργῶν ἀπὸ τῶν ἄλλων, γράφων δὲ λόγους
3. καὶ γὰρ Ἄργας τοὔνομα ποιητὴς ἦν νόμων πονηρῶν κ. ἀργαλέων.	3. ἢ ἀπὸ ποιητοῦ καλουμένου οὕτω πονηροῦ.

---

[1]) Quae scholiasta praebet depravata esse et aliquot verbis transpositis sanari posse videntur, hoc modo: αὐλητοῦ κατεαγότα κρούματα γράφοντος, οἱ δὲ ἀπὸ ποιητοῦ μαλακοῦ (Christ).

Sed ne Plutarchum ea ex codicis alicuius annotationibus excerpsisse putemus, monendum est auctorem stirpis tales minutias curasse et accurate de extemporali facultate vel de plebis studiis vel de morte Demosthenis quicquid tum ferebatur coacervavisse. At quis locus Satyro fuisse potest haec proferendi? Nam caret ratione opinari eum et antecedentia eodem verborum et sententiarum ordine ac serie, ut nunc legimus, Plutarcho subministrasse, cum eum nequaquam adeo elegantis iudicii expertem fuisse manifestum sit. Sed hoc in aptius tempus differo (ad cap. 14).

Capita 5—11 una eademque ratione aestimanda sunt; neque enim auctorem huius partis fugit, quo quidque referat; itaque omnia tam bene inter se cohaerent, ut etiamsi Plut. c. 11 extr. non diserte demonstraret se eam materiam resecare, aperte perspiceremus eum uberrimam materiam ab aliis iam coacervatam et continua oratione tractatam breviter forsan hic illic restrictam transscripsisse.

Atque cap. 5, quo exponitur, quomodo Dem. ad artem oratoriam impulsus sit, ad Hermippum referendum esse p. 10 sqq. demonstratum est.

C. 6 init. propriae cuidam sed pulchrae sententiae occurrimus. Namque postquam Plut. cum reliquis biographis consentiens (cf. Pspl. 844c, Phot. 492, 30 inprimis ex Midianae § 80), sed neglecta nominum mole tradidit Demosthenem inter viros receptum bona sua a tutoribus perfidissimis repetere coepisse et a devictis ne minimam quidem partem extorquere potuisse, addit, sicut Laomedo, ut vitio cuidam splenis mederetur, longis usus cursibus praestantissimus cursor factus sit, ita Demosthenem, cum primum bona paterna recuperandi causa orare coepisset, ea re peritiam vimque sibi parasse, quibus fretus res publicas tractare aggressus sit.

Haec consentiunt cum Aesch. 3, 255 extr., cuius loci vestigia et cap. 4 apparere vidimus, quo velim respicias.

C. 6 extr. — c. 8 init. uberrime exponitur, quomodo a quibusdam amicis fiducia et perseverantia inflammatus corporis vitia et orationis asperitatem potissimum apta actione et summa virium attentione sanaverit.

Inde factum esse, ut non naturali, sed labore parta facundia vique dicendi praeditus crederetur; eadem de causa et quod populi amicus fuerit raro eum ex tempore verba fecisse.

Deinde c. 9 et 10 etiam accuratius explicatur quousque Demosthenis extemporalis facultas pertinuerit, postremo c. 11 scriptor revertitur ad rem c. 8 relictam denuoque Demetr. Phal. testem oculatum afferens, quanto cum studio Demosthenes obstacula eloquentiae devicerit, quidque actione effecerit, denique stirpem, postquam denuo monuit eum in extempore dicendo

facetiis quoque usum esse, deserit et verbis iam saepius memoratis c. 11 extr. hanc rem a fonte etiam uberius sibi oblatam praecidit.

Hisce septem capitibus Plutarchus solito uberius atque a ratione, quam c. 3 huius ipsius vitae professus est, discedens exposuit, quomodo Demosthenes ad summum artis gradum escenderit. Talia ab Hermippo tractata esse et certis signis (ἐκ τούτου δόξαν εἶχεν ὡς οὐκ εὐφυὴς ὢν κ. τ. λ. coll. cum Hermippi fr. 59) et eius studio, ut a partibus plebis praeclaros viros stetisse commonstraret, comprobari iam supra indicavi.

Neque autem credibile est eum haec omnia tam large Plutarcho suppeditasse, nam quamvis auctore Dionys. Halic. (fr. 58) ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις fuerit, tamen inde, quod de Isaeo nihil nisi haec dixit: καθηγήσατο Δημοσθένους, συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων colligendum est eum brevioribus verbis et de reliquis oratoribus et illustribus viris disseruisse. Cogimur in eandem sententiam eis quae capitibus 9—11 traduntur; nam licet prior pars (c. 9) ab eo profecta sit, tamen Eratosthenis et Aristonis mentione ab eo avertimur. Contra c. 11 tam diserta Hermippi mentio fit, ut appareat eum proxime antecedentia verba Plutarchi auctori ad manus dedisse; nec cur reliqua ex eo non fluxerint, ullam causam reperio.

Num c. 9 forma dialogi a Plutarcho, qui eius admodum amans fuerit, usurpata an ex fonte primario translata sit, ad rem non pertinet; nam certe, quae hoc capite continentur, non ipse collegit, sed aliunde i. e. ex stirpe hausit; addo, quod hoc cap. de Pythone refertur, spectare ad Dem. 18, 136.

Item paululum refert et difficile dictu est, num c. 5—11 Theopompea insint; si insunt, Plutarchus ea vix adiecit; idem vix ex aliis scriptoribus ipse supplendi causa quicquam intrusit; nam fontem tam large fluxisse apparet, ut eum praecidisse potius quam amplificasse videatur (cf. quae Psplut. et Phot. et Philodem. c. rhet. 4, 16 sq. p. 122 sq. ex Demetrio repetierunt cum eis, quae Plut. exhibet); praeterea nonnulla in tempus reservavit, ut suo quidque loco uteretur.

Cap. 12 init. maiore ex parte Plutarchus ipse composuisse videtur; nam verba ὥρμησε μὲν . . . συνεστῶτος ad Dem. 18, 18 referri possunt, quam orationem ipse studiose legerat. Etiam verba δῆλος δ᾽ ἐστὶ . . δύο μὲν ἐπὶ τοῖς τριάκοντα γεγονὼς ἔτη ab ipso ex or. c. Mid. § 154: ὃς δύο καὶ τριάκοντα ἔτη γέγονα et reliqua verba μηδέπω δ᾽ ἔχων ἰσχὺν ἐν τῇ πολιτείᾳ κ. δόξαν sicut paulo infra sequentia: ὁρῶν δ᾽ οὐ φαῦλον κ. φίλοις εὖ πεφραγμένον ex Midiana colligi potuerunt, quam orationem eum accurate cognovisse intellegere licet cum ex libro de educ. 9, quo loco aliquid ex hac oratione (§ 191) transscripsit, tum ex proprio quod ferre audet iudicio.

Neque enim verba μοι δοκεῖ et οὐκ ἄν μοι δοκοῦσι adeo spernenda sunt, ut ex fonte translata esse putemus, licet nonnulla, quae quodammodo ornandi causa addita sunt, ex stirpe hauserit; scimus enim Satyrum hanc orationem compilasse. Ceterum obloquitur Plutarchus verbis: αἱ δὲ τρισχίλιαι καθ' ἑαυτὰς — περιγενέσθαι Aeschini, qui 3, 52 dicit: ἢ ταῦτα ἤδη τὰ περὶ Μειδίαν — κ. ὡς ἀπέδοτο τριάκοντα μνῶν ἅμα τήν τε εἰς αὑτὸν ὕβριν κ. τὴν τοῦ δήμου καταχειροτονίαν κ. τ. λ. Fortasse ad hunc locum et Caecilii auctoritas pertinuit, de quo mox in c. 15 disseretur.

Tandem Plut., quomodo D. in republica se gesserit, accuratius exponere incipit. Tamquam indicem praemittit, quo, quaecunque deinde fusius tractaturus est, comprehendit; igitur παρρησία c. 14 med., in quanta admiratione apud Graecos fuerit c. 18, quanto honore a rege Persarum affectus sit c. 20, quantam curam ei Philippus impertiverit c. 16 explicatur.

Mox cap. 13 Theopompo obsistit rebus partim ex memoria partim ex aliorum librorum lectione coactis, in quibus etiam stirpis auctorem deprehendimus, qui Demadis mentionem vix unquam loco dato omisit; iterum monemur voce φαίνεται γὰρ Plutarchum suo ipsius iudicio confidere.

Deinde Panaetii[1]) auctoritati se adiungit, quem, quousque sequatur, difficile dictu; fieri enim potest, ut usque ad verba: ἐπεὶ . . (c. 14) eius expositionem receperit; nam cum ille contra Demetr. Phal. librum quendam scripserit, non potuit eum non accurate perscrutari.

Sed alio indicio adducimur, ut credamus Plutarchum hunc iam antea reliquisse et fortasse iam a verbis ὡς εἴγε . . παρῆν (c. 13 extr.) stirpem secutum esse. Etenim si quidem verba ἐπεὶ τούς γε καθ' ἑαυτὸν ῥήτορας καὶ τῷ βίῳ παρῆλθεν non aliter interpretanda sunt atque hoc modo: 'ceterum aequales oratores vitae quoque laude superavit' (cf. p. 7—8) — apparet Plutarchum stirpem, quae quin convicia primum ab Idomeneo in Demosthenis vitam iacta, ab Hermippo iterum usurpata, ipsa quoque acceperit, minime dubito, in hac re dereliquisse, cum ex interiore or. Midianae cognitione, praeterquam quod haud ignorabat, quid Idomeneus vellet, sibi persuasisset haec pura commenta esse.

Aliam causam, cur stirpis auctor de ἀκολαστεία illa Demosthenis verba fecisse videatur, repeto ex cognominibus illis in ignominiam Demosthenis inventis, quae Plut. c. 4, quid quodque valeret addens reservavit.

---

[1]) Cim. c. 4 eiusdem liber περὶ παρηγορίας usurpatus est (Ruehl l. m. p. 52); hic sine dubio liber Panaetii περὶ τοῦ καθήκοντος ei ob oculos fuit, quem Cicero de officiis scribens secutus est.

Nam nisi hoc loco Plut. talia nusquam invenisse mihi persuasum est. Quod maxime comprobatur eo, quod Plut. deinceps ad rem plane diversam transit.

Sed antequam progrediamur, oportet ex rebus modo tractatis Plutarchi quale fuerit iudicium quaerere. Namque praeclaro hic locus documento est eum in malam partem ire non solitum esse, priusquam rem ita sese habere perspexisset; itaque Aeschinem cum vidisset Demosthenem ignaviae arguere, non secutus est, priusquam Demetr. Phalereum, cuius fides propter Demosthenis familiaritatem minime suspecta erat, simile tradidisse cognovisset; tum demum Aeschinis verbis uti ausus est:

Plut. c. 14:	Aesch. 3, 173—174:
τῷ δ' ἄνωθεν ἐκ Σούσων κ. Ἐκβατάνων ἐπιβατὸς χρυσίῳ γεγονὼς καὶ *κατακεκλυσμένος*, ἐπαινέσαι μὲν ἱκανώτατος ἦν τὰ τῶν προγόνων καλά, μιμήσασθαι δ' οὐχ ὁμοίως.	νῦν μέντοι τὸ βασιλικὸν χρυσίον *ἐπικέκλυκε* τὴν δαπάνην αὐτοῦ § 174: οἱ μὲν λόγοι καλοί, τὰ δ' ἔργα φαῦλα

Verbis φαίνεται δὲ καὶ rem plane novam atque ab hoc loco, ut mihi videtur, alienam adiungit: narrat, quanta libertas ex iis quae dixit eluceat. Voce φαίνεται se ipsum eam opinionem ex Demosthenicarum orationum studio concepisse indicat; quam rem fortasse Theopompus ei subministraverat, qui subinde testis affertur, et, cum illustrissimum quemque virum ab optimatium partibus, quas ipse summo ardore secutus est, stetisse probare studeret, sine dubio παῤῥησίαν illam optimatium studii testimonium esse contendit. Accedit quod hic locus ab eo, quo Plut. (c. 8 extr.) stirpem secutus summo opere Demosthenem vere popularem fuisse comprobavit, dissidet.

Iam Theopompum ipsum Plutarcho praesto fuisse manifestum est; nam si stirps ea praebuisset, c. 8 his diversis iudiciis inter se comparatis alterutram in partem diiudicatum esset. Ceterum eadem praeter Dinarchum 1, 62—63 Demosth. 18, 132—133 narrat. Quae si cum Plutarchi verbis comparaverimus, cognoscemus eum ad Demosthenis verba ita se applicasse, ut eisdem fere verbis servatis eum exscriberet; una vox ἀριστοκρατικὸν cum Dinarcheo ὀλιγαρχ. magis concinit, quam cum Demosthenico: ὡς ἐν δημοκρ. δεινὰ ποιῶ.

Plutarchea verba καὶ παρ' οὐδὲν τὸ προσκροῦσαι τῷ δήμῳ θέμενος neuter eorum praebet. Quid ergo?

Equidem sic statuo: Plut. huius rei non meminisset, nisi eam Theop. verbis ἀριστοκρ. σφόδρα αὐτοῦ πολίτ. κ. τὸ π. Ἀντιφῶντος delineavisset;

itaque is, Demosthenem de eadem re in or. de cor. plura verba fecisse minime nesciens, hunc in exponenda causa ita secutus est, ut Theopompum, cui fortasse nihil nisi verba παρ' οὐδὲν . . θέμενος praeter illa prima debuit, suppleret.

Extrema verba capit. 14 etiam apud Philochorum exstitisse docemur ab Harpocratione s. v. Θεωρίς· Μάντις ἦν ἡ Θ. κ. ἀσεβείας κριθεῖσα ἀπέθανε, ὡς καὶ Φιλόχορος ἐν ἕκτῃ γράφει.

Hoc loco aliquantum subsistamus et, quoad eius rei facere poterimus, quaeramus, num Philochorus Plutarcho hac in vita scribenda ante oculos fuisse videatur. Atque loco modo allato nihil proficimus, nam particula καὶ, ne illum solum eam rem tradidisse putemus, prohibemur. Sed exstant Philochori vestigia etiam aliis locis: c. 28, 30, 31.

C. 28 Reussio ('Hieronymus v. Kardia,' Berlin 1876), quod de Demadis lege commemoratur, ex Ph. haustum esse probabile est. C. 30 fabula quaedam de Demosthenis morte Philochori auctoritate nititur, ut Pspl. 847a docet: ἀποθανεῖν δὲ αὐτὸν Φ. μέν φησι φάρμακον πιόντα. Postremo, quae Plut. c. 31 de Demadis morte tradit, ex Philochori libro Ἀτθίς inscripto profecta esse Reussius p. 40 iusta causa addita comprobavit.

Sed minime cogimur, ut Plutarchum eum consuluisse credamus; nam c. 28 ex stirpe repetitum esse cognovimus, c. 30 Plut. ipse non Philochorum, sed Pappum quendam, cuius historiam Hermippus repetierit, testem nominat, ni fallor in describendo levius agens et auctorum nomina conturbans. Psplut. 847a enim eadem non uni scriptori tribuit, sed alteram eius partem 'quibusdam scriptoribus', alteram Philochoro se debere dicit; c. 31 ex eadem stirpe fluxit; sed cum Hermippum mortes illustrium hominum summo studio depinxisse constet, per hunc Philochori relationem in stirpem perlatam esse verisimile est. Ceterum Philochori narratio desideratur etiam, ubicunque scriptor vere historicus maximo usui fuit; luculenter hoc docent fr. 132 et 135, quae ab eis quae Plut. c. 17 et 18 de Olynthiis et pugna Chaeronensi tradit, abhorrent; praeterea Philochorus diligentissimus in temporum computatione erat; nam archontis nomine praemisso, quicquid quoque anno evenerat, enumerabat; contra Plut. temporum ordinis accuratam rationem nusquam habet, nedum archontum seriem observet vel quemquam eorum nominet. —

Cap. 15 doctrina splendet. Iam supra, cum Roesigeri sententiam de hac re pg. 38 prolatam infringere studerem, paucis, quid mihi persuaserim, ostendi. Nunc eadem res accuratius tractanda est. Atque Plutarchum ipsum haec coacervasse et composuisse quis est qui credat? Certe eius

ingenio talia maxime fuerunt absona; quod, etiamsi non ipse profiteretur, c. 3, c. 8 et 11 atque etiam c. 15 extr., si etiamnunc nos fugeret, luculenter doceremur; nam c. 8 Demetrii Phal. expositionem resecuisse eum videri cognovimus, c. 11 extr. et c. 15 extr. se harum rerum nec studiosum nec diligentem fuisse aperte dicit. Quaeritur igitur, quis auctor Plutarcho has res literarum scientiae plenas suppeditarit. Atque cum Plut. has vitas perscripsit, Dionys. Halic. et Caecilius Calact. in orationes clarissimorum oratorum inquisiverant. Constat autem Caecilium aliquanto post Dionysium, cuius aequalis et familiaris erat, decem, qui praestantissimi essent, oratores ex magno oratorum Atticorum numero elegisse eorumque orationes tamquam canonem et regulam artis oratoriae constituisse. Hac re potissimum ductum Burckhardtium[1]) non temerarie coniecisse arbitror Dionysium a Caecilio compilatum esse. Quid inde efficitur? Nempe Caecilium postremum fuisse rhetorem, qui has res diligenter sit perscrutatus; cognoscitur autem eius doctrina schol. ad Aesch. de fals. legat. 3, 1 (fr. 12b Burckh.), unde eum Demetrii Phal., Idomenei, Hermippi scripta in suum usum convertisse apparet. Quid inde colligendum? Plutarchum, qui c. 3 ad Caecilium in simili re spectavit, hunc doctissimum virum hisce in rebus consuluisse. Neque iam mirum est, quod Idomeneum et Demetrium Magnetem, homines Caecilium aetate antecedentes, affert.

Sed etiam reconditioribus indiciis hoc comprobatur. Nam Psplutarchi liber de X orat. inscriptus, qui, si Burckhardt (p. 51 l. m.) recte disputavit, — neque est cur dubitemus —, Caecilii auctoritate, ubicunque de orationum spuriarum aut genuinarum numero et de oratorum genere dicendi iudicatur, nititur atque partem quandam ex eius stilo profectam continet[2]), nihil, quod a Plutarcho dissideat, tradit, quin imo nonnullis in rebus certam necessitudinem intercedere videmus. Legimus enim ap. Pspl. 840c: εἰσὶ δὲ οἵ φασι συγγράψαι μὲν τοὺς ῥήτορας τοὺς λόγους, ἐμποδὼν δὲ γενομένων τῶν περὶ Χαιρώνειαν μηκέτι τὴν δίκην εἰσελθεῖν. Quid aliud dicit Plut.? ἀλλ᾽ οὐκ ἔοικεν οὕτως ἔχειν τἀληθές, εἰ δεῖ τοῖς περὶ στεφάνου γεγραμμένοις ἑκατέρων λόγοις τεκμαίρεσθαι κ. τ. λ.

Causam tantummodo addit, quare Demosth. eam orationem non habuisse videatur, quam in opinionem eum ipsum non incidisse, quisquis Plutarchum novit, concedet; sed cum ipse orationem de cor. magna ex

[1]) 'Caecilii rhet. fragm. coll. etc. Th. Burckhardt' Basileae 1863, p. 52.

[2]) incipit autem haec pars, ut B. vult, semper verbis φέρονται δὲ, καταλέλοιπε δὲ —, qua in re B. nimis caute egit; nam ut hae voces certa Calactini indicia sunt, ita, quae ex eo sunt, his demum verbis semper incipere necesse non est.

parte excerpsisset, quod quidem paullo infra clarius demonstrabitur, quidni ipsius sententiam interponeret (ἀλλ' οὐκ ἔοικεν . .), sive is quem secutus est in eandem sive in contrariam partem cesserat? Ceterum etiam ex iis, quae aetatem tulerunt, Caecilianis non elucet, quam hic sententiam adoptaverit.

Etiam luculentius documentum Plut. c. 15 Caecilium excussisse efficitur collato loco quodam cum eis, quae Gell. 15, 28 servavit: 'Illud adeo ab utriusque oratoris studiosis animadversum et scriptum est, quod Demosth. et Cicero pari aetate inlustrissimas orationes in causis dixerunt, alter κατὰ Ἀνδροτίωνος et κατὰ Τιμοκράτους septem et viginti annos natus, alter anno minor pro P. Quinctio septimoque et vicesimo pro S. Roscio'. Atque cum Plut. c. 15 med. haec habeat: τῶν δὲ δημοσίων ὁ μὲν κατ' Ἀνδροτίωνος κ. Τιμοκράτους καὶ Ἀριστοκράτους ἑτέροις ἐγράφησαν, οὔπω τῇ πολιτείᾳ προσεληλυθότος· δοκεῖ γὰρ δυοῖν ἢ τριῶν δέοντα ἔτη τριάκοντα γεγονὼς ἐξενεγκεῖν τοὺς λόγους ἐκείνους et ap. Dionys. Halic. (ep. ad Amm. I 4 p. 744 Reiske) haec legamus: καί ἐστιν αὐτοῦ πρῶτος τῶν ἐν δικαστηρίῳ κατασκευασθέντων ἀγώνων ὁ κατὰ Ἀνδροτίωνος, ὃν γέγραφε Διοδώρῳ τῷ κρίνοντι τὸ ψήφισμα παρανόμων — nonne Caecilium, cum iam Dionysius eius familiaris, hanc fuisse primam Demosthenis causam publicam eruisset, in 'comparatione Cic. cum Demosth.' (Plut. Demosth. c. 3) hoc sic supplevisse, ut Gell. et Plut. ex eo transscripserunt, verisimillimum est? Colligimus enim hoc modo: Dionysius Gelliana nondum praebet, Plut. aut Dionysium aut Caecilium de utroque scriptore consuluit, atqui Caecilius primus σύγκρισιν τοῦ Δημ. κ. Κικ. scripserat, Plutarchus eam ipse cognoverat, certum igitur est Caecilium a Plutarcho in hac re adhibitum esse.

Libet paulisper ad ea, quae Plut. c. 12 de or. Midiana explicuit, respicere; certe enim Plut. verbis μοι δοκεῖ indicat, ipsum se in ea oratione versatum esse; contra quis ei singula subministraverit, utrum stirpis auctor an Caecilius, difficile dictu. Si autem Caecilium ei ob oculos fuisse tenemus, non iam est, cur eum etiam ad cognoscendam Midianae condicionem Caecilium adhibuisse negemus.

Cap. 16 Plut. ad ea, quae c. 12 verbis: ταχὺ δόξαν ἔσχεν δημαγωγούντων attigerat, revertitur, quin recurrunt eadem verba s. in: διὸ κ. παρὰ Φ. πλεῖστος ἦν λόγος αὐτοῦ. Cur supra ab argumento aberravit oratio? Facile hoc intelleges, modo reputes eum, ut Theopompi, qui Demostheni inconstantiam crimini dederat, iniquius iudicium infringeret atque omnino de virtutibus et vitiis Demosthenis accuratius comperiret, ad alios fontes se convertisse. Itaque Panaetio nixus, quod honestum propter se ipsum fieri voluisset, laudavit, Demetrium secutus, quod neque in armis satis

laudatus neque adversus corruptelas munerum satis undique munitus fuisset, vituperavit; contra vitam privatam omni labe carere affirmat; inprimis laudabile esse, quod multitudinis cupiditatibus non cessisset. Deinde Theoridis sacerdotis, quam Dem. nihil veritus in ius vocavisset, mentione etiam magis de via depulsus, quas causas oravisset, pluribus explicavit nescius ni fallor, ubinam postea hanc rem melius absolvere posset.

Iam vero c. 16 ad propositum redit neque deinceps, quibus rebus publicis Demosth. sibi illam immortalem laudem pepererit, exponere desinit. Verbis φανερὰ ἦν ipsius Plutarchi vestigia aperiuntur; spectat haud dubie ad Demosthenis oratt. Philippicam II., de Cherson., Philipp. III.; vix enim haec verba ad Dem. 18, 20—22 pertinent. Praeterea vox διακαίοντος ex c. 18 s. m. (ἡ δὲ τοῦ ῥήτορος δύναμις — διακαίουσα τὴν φιλοτιμίαν) repetita documento est Plutarcho etiam sequentia ob oculos versari. Sententiarum enim diversitatem video nullam (contra Roesig. p. 41).

Unde reliqua huius capitis hausta sint quaerens, inter Aeschinem et Theopompum dubius haereo. Nam, quod Plut. de Demosthenis legatione ad Philippum tradit, ab Aeschine, qui (de f. legat § 38) haec habet: πολλάκις μου τοὔνομα ἐν τοῖς λόγοις ὠνομάζετο. πρὸς δὲ Δημοσθένην τὸν οὕτω καταγελάστως ἀπαλλάξαντα οὐδ' ὑπὲρ ἑνὸς οἶμαι διελέχθη prorsus abhorret. Itaque quamvis Schaefero II 191 applaudamus monenti, ne Aeschinem quidem confidenter contendere audere Philippum Demosthenis verba omnino non respexisse, tamen tantum interest inter Plutarchi et Aeschinis verba, ut ea conferre prorsus non liceat. Itaque aut Plutarcho ingens quaedam licentia insolitave memoriae infirmitas vitio est danda aut scriptor aliquis aequalis, qui Aeschinis mendacium correxerat, ei in manibus fuit. Qui quin Theopompus fuerit, dubium non fore existimo, cum ad Aeschinis narrationem (de f. leg. § 112: ἐκεῖνα δὲ ἤδη κ. σφόδρα διωρθοῦτο· οὐκ εἶπον, ὡς καλὸς εἶ· γυνὴ γὰρ τῶν ὄντων ἐστὶ κάλλιστον. οὐδ' ὡς δεινὸς συμπιεῖν· σπογγιᾶς τὸν ἔπαινον ὑπολαμβάνων τοῦτον εἶναι. οὐδ' ὡς μνημονικός· σοφιστοῦ τὰ τοιαῦτα νομίζων ἐργολαβοῦντος ἐγκώμια εἶναι) et subsequentia verba (ὅθεν ἐπαινούντων . . . . . . ἐγκώμιον) in Philippi ignominiam dicta optime quadrent. Nam constat — id quod supra monuimus — Theopompum data opera Demosthenis quoque cavillationibus nixum Philippi imaginem effinxisse teterrimam; eundem cur Aeschinis orationes ad eam rem non compilasse putandum sit?

Quod utcunque se habet, ex Aesch. or. de f. leg. in hanc vitam praeter hos duos locos (§ 38 et 112) nihil transisse invenio, nisi quod Plut. c. 4 — quo quaeso respicias — Demosthenem Batali cognomen a pueris propter mollitiem corporis accepisse tradit, cui similem traditionem

habemus Aesch. 2, 99. Nam, quod Theopompi auctoritati tribuimus, Demosthenem filium esse τοῦ μαχαιροποιοῦ, quamquam idem in eiusdem or. § 93 exstat, minus ad hanc quaestionem pertinet.

Mihi quidem diu diligenterque computanti et res ab Aesch. et Plut. traditas ponderanti, etiamnum, quae ratio inter Aesch. et Theop. intercedat, omnium difficillima quaestio esse videtur.

Cap. 17 vestigia perspicua sunt excepto eo, quod Plut. auctore Theophrasto afferre se dicit, de quo loco supra, cum de Theophrasto verba facerem, exposui.

Apparet enim haec omnia a Plutarcho ex or. de corona §§ 79—87, 87—94, 244 et 237 compilata esse:

Plut. c. 17 A:	Dem. 18, 79—87:
1. πρῶτον μὲν εἰς Εὔβοιαν ἐξώρμησε τοὺς Ἀθηναίους	1. — πρεσβείαν ἔγραψα — εἶτα τὴν εἰς Εὔβοιαν, ἡνίκ' Εὐβοίας ἥπτετο, εἶτα τὴν ἐπ' Ὠρεὸν ἔξοδον, οὐκέτι πρεσβείαν, κ. τὴν εἰς Ἐρέτριαν,
2. καταδεδουλωμένην ὑπὸ τῶν τυράννων Φιλίππῳ·	2. ἐπειδὴ τυράννους ἐκεῖνος ἐνταύταις ταῖς πόλεσι κατέστησεν. § 79; eadem uberius exposita sunt § 80—82.
3. κ. διαβάντες, ἐκείνου τὸ ψήφισμα γράψαντος, ἐξήλασαν τοὺς Μακεδόνας.	3. λέγων κ. γράφων § 86 —, ἐκ τῆς Εὐβοίας ὁ Φ. ἐξηλάθη. τοῖς μὲν ὅπλοις ὑφ' ὑμῶν, τῇ δὲ πολιτείᾳ κ. τοῖς ψηφίσμασι — ὑπ' ἐμοῦ § 87.
B:	Dem. 18, 87—94:
1. δεύτερον δὲ Βυζαντίοις ἐβοήθησε κ. Περινθίοις	1. conflata ex Dem. 18, 89
2. ὑπὸ τοῦ Μακεδόνος πολεμουμένοις,	2. conflata ex Dem. 18, 87
3. πείσας τὸν δῆμον ἀφέντα τὴν ἔχθραν κ. τὸ μεμνῆσθαι τῶν περὶ τὸν συμμαχικὸν ἡμαρτημένων ἑκατέροις πόλεμον	3. coll. Dem. 18, 93: ἡ προαίρεσις ἡ ἐμὴ κ. ἡ πολιτεία διεπράξατο et Dem. 18, 94: ὑμεῖς δ' οἱ καὶ μεμφάμενοι πολλὰ κ. δίκαια ἂν ἐκείνοις — περὶ ὧν ἠγνωμονήκεσαν εἰς ὑμᾶς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις οὐ μόνον οὐ μνησικακοῦντες οὐδὲ προιέμενοι τοὺς ἀδικουμένους.
4. ἀποστεῖλαι δύναμιν αὐτοῖς, ὑφ' ἧς ἐσώθησαν.	4. coll. Dem. 18, 88: τίς ἦν ὁ βοηθήσας τοῖς Βυζαντίοις κ. σώσας αὐτούς et 94: σώζοντες ἐφαίνεσθε (§ 93 σῶσαι).

C:

1. ἔπειτα πρεσβεύων κ. διαλεγόμενος τοῖς Ἕλλησι κ. παροξύνων συνέστησε πλὴν ὀλίγων ἅπαντας ἐπὶ τὸν Φ.,

2. ὥστε σύνταξιν γενέσθαι πεζῶν μὲν μυρίων κ. πεντακισχιλίων, ἱππέων δὲ δισχιλίων ἄνευ τῶν πολιτικῶν δυνάμεων,

3. χρήματα δὲ κ. μισθοὺς τοῖς ξένοις εἰςφέρεσθαι προθύμως.

4. Ἐπηρμένης δὲ τῆς Ἑλλάδος πρὸς τὸ μέλλον κ. συνισταμένων κατ' ἔθνη κ. πόλεις Εὐβοιέων, Ἀχαιῶν, Κορινθίων, Μεγαρέων, Λευκαδίων, Κερκυραίων — ὁ μέγιστος ὑπελείπετο τῷ Δημ. τῶν ἀγώνων, Θηβαίους προσαγαγέσθαι τῇ συμμαχίᾳ.

1. οὐδαμοῦ πώποθ', ὅποι πρεσβευτὴς ἐπέμφθην ὑφ' ὑμῶν ἐγώ, ἡττηθεὶς ἀπῆλθον. Dem. 18, 244.

2. — ἀφ' ὧν μύριοι μὲν καὶ πεντακιςχίλιοι ξένοι, δισχίλιοι δ' ἱππεῖς ἄνευ τῶν πολιτικῶν δυνάμεων συνήχθησαν,

3. χρημάτων δὲ ὅσων ἠδυνήθην ἐγὼ πλείστην συντέλειαν ἐποίησα

4. ἐγὼ συμμάχους μὲν ὑμῖν ἐποίησα Εὐβοέας, Ἀχαιούς, Κορινθίους, Θηβαίους, Μεγαρέας, Λευκαδίους, Κερκυραίους — Dem. 18, 237.

De eadem re cum plebiscitum ap. Psplut. 851b tum Aesch. ipse 3, 95, 97, 98, 256 alia tradunt sociorum nomina (Aesch. Euboicos, Megarenses, Achaeos, posthac Peloponnesios omnes et Acarnanes insuper enumerat).

Itaque cum Plut. solus cum Demosthene in enumerandis sociis congruat eundemque cum eo ordinem accuratissime servet, Thebanis tantum, de quibus deinceps verba facit, in fine positis, nemini dubium fore spero, quin Demosthenes Plutarcho ante oculos fuerit. Cur Thebanos ex numero reliquarum gentium exemit? Primum ex hac oratione ipsa Thebanos omnium postremos Atheniensibus conciliatos esse perfacile est cognitu, deinde Plutarchum, quippe qui ipse natione Boeotus fuerit, studio cum rerum Boeoticarum tum Thebanarum tamquam domesticarum accensum fuisse apparet, quo factum est, ut eorum res accuratius examinaret et sua quam aliena sapientia sapere mallet.

Sed, priusquam, quid hinc colligendum sit, explicemus, convenit quaerere, unde in cap. 18 Plut. sua hauserit. Atque homines docti iam dudum perspexerunt Plutarchum tempora confudisse videri, cum diceret: οὐ μὴν ἀλλ' ἐπεὶ Φ. ὑπὸ τῆς περὶ τὴν Ἄμφισσαν εὐτυχίας ἐπαιρόμενος εἰς τὴν Ἐλάτειαν ἐξαίφνης ἐνέπεσε κ. τὴν Φωκίδα κατέσχεν. Etenim iam Winiewski 'commentarii in Dem. or de cor.' Monasterii 1829 p. 248 hoc modo collegit:

cum Plutarchus ἐπεὶ Φ. ὑπὸ τῆς περὶ τὴν Ἄμφισσαν εὐτυχίας ἐπαιρόμενος εἰς κ. τ. λ. ait, in his: ἡ περὶ τὴν Ἄμφισσαν εὐτυχία aut excitatum solummodo ab Amphictyonibus bellum adversus Amphissenses significat, aut si victos a Philippo Amphissenses, errasse Plutarchum statuendum est, id quod Philochori fragm. 135 confirmaretur. Roesiger p. 43 sq. illi opinioni se applicavit atque verbis ἡ περὶ τὴν Ἄμφισσαν εὐτυχία generaliter occasionem Philippo ad Graeciam invadendam oblatam significari existimavit. At nobis hoc loco Plut. testis rerum est nullus. Nam et haec verba et sequentia (usque eo, ubi Marsyam affert) ab ipso secundum Dem. de cor. compilata sunt; Plut. igitur, qua est neglegentia in rerum tenore constituendo, Demosthenem, qui ne ipse quidem perspicuis verbis temporum ordinem servat, male interpretatus esse existimandus est. Re vera postquam Dem. 18, 163 dixit: ἀλλ' ἐκεῖσε ἐπάνειμι, ὅτι τὸν ἐν Ἀμφίσσῃ πόλεμον τούτου μὲν ποιήσαντος, συμπεραναμένων δὲ τῶν ἄλλων τῶν συνεργῶν αὐτῷ τὴν πρὸς Θηβαίους ἔχθραν, συνέβη τὸν Φ. ἐλθεῖν πρὸς ἡμᾶς, οὗπερ ἕνεκα τὰς πόλεις οὗτοι συνέκρουον .. § 168 — nam § 164—167 compluribus spuriis plebiscitis explentur — sic pergit: οὕτω διαθεὶς ὁ Φ. τὰς πόλεις πρὸς ἀλλήλας διὰ τούτων κ. τούτοις ἐπαρθεὶς τοῖς ψηφίσμασι κ. ταῖς ἀποκρίσεσιν ἧκεν ἔχων τὴν δύναμιν κ. τὴν Ἐλάτειαν κατέλαβεν, ὡς οὐδ' ἂν εἴ τι γένοιτο ἔτι συμπνευσάντων ἂν ἡμῶν κ. τῶν Θηβαίων.[1])

Quae deinde ap. Plut. c. 18 sequuntur, ex illo praeclarissimo loco, Dem. 18, 168 sqq., hausta sunt; nam series rerum eadem est et saepe eadem aut simillima verba apparent:

Plut. c. 18:	Dem. 18, 168—179:
1. ἐκπεπληγμένων τῶν Ἀθηναίων	1. ἀλλὰ μὴν τὸν τότε συμβάντα ἐν τῇ πόλει θόρυβον ἴστε μὲν ἅπαντες (168) — κ. θορύβου πλήρης ἦν ἡ πόλις (169).
2. καὶ μηδενὸς τολμῶντος ἀναβαίνειν ἐπὶ τὸ βῆμα μηδὲν ἔχοντος ὅτι χρὴ λέγειν, ἀλλ' ἀπορίας οὔσης ἐν μέσῳ κ. σιωπῆς,	2. παρῄει οὐδεὶς — ἀνίστατ' οὐδεὶς (170) — ὁ γὰρ μὴ ταῦτ' εἰδὼς — οὐδὲν μᾶλλον ἔμελλεν ὅτι χρὴ ποιεῖν εἴσεσθαι οὐδ' ὑμῖν ἕξειν συμβουλεύειν (172).

---

[1]) eadem incuria Plut. hoc loco verba Ἐλάτειαν et Φωκίδα transposuisse videtur; nam Dem. 18, 153, 168, 169, 175 recte de Elateae occupatione vocabulo κατέλαβε (quod est κατέσχε) utitur; itaque fortasse scribendum est: εἰς τὴν Φωκίδα ἐξαίφνης ἐνέπεσε κ. τὴν Ἐλάτειαν κατέσχεν.

3. παρελθὼν μόνος ὁ Δημοσθένης	3. παρελθὼν εἶπον — μόνος τῶν λεγόντων καὶ πολιτευομένων (173).
4. συνεβούλευε τῶν Θηβαίων ἔχεσθαι·	4. — εἶτα μεταθέσθαι καὶ φοβεῖσθαι πάντας ὑπὲρ Θηβαίων (177)
5. κ. τἄλλα παραθαῤῥύνας κ. μετεωρίσας, ὥσπερ εἰώθει, τὸν δῆμον	5. πρῶτον μὲν τὸν παρόντα ἐπανεῖναι φόβον — (177)
6. ἀπεστάλη πρεσβευτὴς μεθ᾽ ἑτέρων εἰς Θήβας	6. conflata ex § 178 et 179.

Tunc Marsyam testem assumpsit; cur Demosthenem deseruit? Primum de legatis Thebis sibi oblocutis Demosth. nihil nisi haec praebet § 211: ὡς γὰρ ἀφικόμεθ᾽ εἰς τὰς Θήβας, κατελαμβάνομεν Φιλίππου κ. Θετταλῶν κ. τῶν ἄλλων συμμάχων παρόντας πρέσβεις κ. τοὺς μὲν ἡμετέρους φίλους ἐν φόβῳ· deinde § 213, Thebanos adversariis potestatem verba faciendi primis dedisse breviter commemorat. Itaque ad alium confugit; accedit quod Marsyas cum Demosthene concinna habuit.

Altera causa inde repetenda est, quod Dem. de oratione Thebis habita non nisi in universum exposuit § 179 et § 214 et 215 (ἵνα τὰν μέσῳ παραλείπω) continuoque ad bellum ad fines Boeotiae gestum transiit. Hoc legit etiam Plutarchus: quid mirum quod sui sibi conscius iudicii Theopompum hisce de rebus inspexit, et ipsum admirationem erga hunc virum vix celantem, quamvis acerbe de eo capite extremo detrahat. Ceterum perspicuum documentum Plutarchum in rebus Boeoticis duos fontes adhibuisse et conflasse — alterum dico Demosthenem alterum Theopompum — efficitur nisi fallor comparatis cap. 17 extremis verbis iisque, quae Theopompi nomen proxime praecedunt: ἣν δ᾽ οὐ ῥᾴδιον — ταῖς πόλεσιν (17 extr.) et τὸ μὲν οὖν συμφέρον — πρὸς τὸ καλόν (c. 18 med).

Quid enim? Primum Plut. probare studet Demosthenem, cum Thebanos ad societatem pelliceret, opus difficillimum molitum esse, quod Philippus novis hos beneficiis sibi devinxisset et propter perpetuas illas simultates spes gratiae redintegrandae minima fuisset. Contra c. 18 legimus Thebanos ad defectionem trahere idcirco tam difficile fuisse, quod omnibus metus novi et maioris belli ob oculos versatus esset et, utrum utilitatem an honestatem magis respicerent, diu dubitavissent. Manifestum igitur est diversis scriptoribus Plutarchum aures praebuisse neque dubitamus illum locum Demostheni, qui § 113 eadem, quae Plut. dicit, tangit legatorum verba brevi perstringens, tribuere, cum inde parva opera imaginem rerum Demostheni obstantium mente concipere posset. (Dem. 18, 213: παρελθόντες (legati Philippi) — τὸ δ᾽ οὖν κεφάλαιον 1) ἠξίουν ὧν μὲν εὖ πεπόνθεσαν

ὑπὸ Φιλίππου χάριν αὐτοὺς ἀποδοῦναι, 2) ὧν δ' ὑφ' ὑμῶν ἠδίκηντο δίκην λαβεῖν adde § 161.)

Alteram sententiam ad Theopompum referemus, cuius cum verbis tam arte cohaeret, ut divellere eam nequeamus.

Iam vero ad eum locum devenimus, qui indagantibus nobis, quibus Plutarchus fontibus nitatur, paene inexsuperabiles difficultates obstruit. Theopompi enim auctoritati, qui bis allatus priore quidem loco propria habet sive qualia apud nullum alium scriptorem invenimus, altero loco (c. 18 extr.) tales res se debere Plutarchus diserte praedicat, quales apud Aeschinem etiamnunc exstare videmus. Res ipsas perscrutemur. Atque ut statim, quorsum quaestio spectet, appareat, ante omnia alteram Theopompi sententiam examinare liceat. Qui, cum iudicium de Demosthenis apud Thebanos actionibus tulisset, haec fere in extremo proposuisse videtur: ἐδυνάστευεν ἀδίκως καὶ παρ' ἀξίαν, quibuscum et antecedentia verba coniungere rerum nexu cogimur, quamquam sine dubio, quod Demosthenes his magis laudatur quam reprehenditur, ne solum Theopompum Plutarchum exscripsisse putemus, prohibemur. Sed de his postea; nunc doceam oportet Aeschinem eadem fusius 3, 145 opprobrio dare Demostheni: δεύτερον δὲ ἀδίκημα ἠδίκησεν, ὅτι τὸ βουλευτήριον τὸ τῆς πόλεως κ. τὴν δημοκρατίαν ἄρδην ἔλαθεν ὑφελόμενος κ. μετήνεγκεν ἐς Θήβας εἰς τὴν Καδμείαν κοινωνίαν τῶν πράξεων τοῖς Βοιωτάρχαις συνθέμενος. καὶ τηλικαύτην αὐτὸς αὑτῷ δυναστείαν κατεσκεύασεν, ὥστ' ἤδη παριὼν ἐπὶ τὸ βῆμα. πρεσβεύσειν μὲν ἔφη ὅποι ἂν αὐτῷ δοκῇ, κἂν μὴ ὑμεῖς ἐκπέμπητε, εἰ δέ τις αὐτῷ τῶν στρατηγῶν ἀντείποι, καταδουλούμενος τοὺς ἄρχοντας κ. συνεθίζων μηδὲν αὐτῷ ἀντιλέγειν, διαδικασίαν ἔφη γράψειν τῷ βήματι πρὸς τὸ στρατηγεῖον. (cf. Aesch. 3, 220 — ὁ δυναστεύων —, 3, 233 — τὴν αὑτοῦ δυναστείαν), quibus et haec addenda: Aesch. 3, 150: ὡς δ' οὐ προςεῖχον αὐτῷ οἱ ἄρχοντες οἱ ἐν ταῖς Θήβαις, ἀλλὰ καὶ τοὺς στρατιώτας τοὺς ὑμετέρους πάλιν ἀνέστρεψαν ἐξεληλυθότας, ἵνα βουλεύσησθε περὶ τῆς εἰρήνης, ἐνταῦθα παντάπασιν ἔκφρων ἐγένετο κ. παρελθὼν ἐπὶ τὸ βῆμα. προδότας τοὺς Βοιωτάρχας ἀπεκάλεσε κ. γράψειν ἔφη ψήφισμα κ. τ. λ.

Restant his cum Plutarcho collatis haec: οὕτω δὲ μέγα κ. λαμπρὸν ἐφάνη τὸ τοῦ ῥήτορος ἔργον, ὥστε τὸν μὲν Φ. εὐθὺς ἐπικηρυκεύεσθαι δεόμενον εἰρήνης, ὀρθὴν δὲ τὴν Ἑλλάδα γενέσθαι καὶ συνεξαναστῆναι πρὸς τὸ μέλλον. quae ex Dem. 18, 218 conflata esse verisimile est: ἀλλὰ μὴν οἵας τότ' ἠφίει φωνὰς ὁ Φ. κ. ἐν οἵαις ἦν ταραχαῖς ἐπὶ τούτοις, ἐκ τῶν ἐπιστολῶν τῶν ἐκείνου μαθήσεσθε ὧν εἰς Πελοπόννησον ἔπεμπεν.

Praeterea et Plutarchea illa: ἔτι τῶν Φωκικῶν τραυμάτων νεαρῶν παραμενόντων cum Aeschineis (3, 148): οὐ γὰρ ῥήτωρ ἀστράτευτος κ. λιπὼν

τὴν τάξιν αὐτοὺς ἐνουθέτησεν, ἀλλ' ὁ Φωκικὸς πόλεμος δεκαετὴς γεγονὼς ἀείμνηστον παιδείαν αὐτοὺς ἐπαίδευσεν consentiunt.

Quae etiamnunc supersunt pleraque vel potius omnia ad Theopompum referenda sunt. Difficillimum autem est subtiliter secernere, quid Theopompo Aeschinem sequenti, quid Plutarcho et Theopompum et Aeschinem transscribenti assignandum sit.

Neque enim dubium est, quin Plut. Aeschinis orationem c. Ctesiph. diligenter legerit; plura sunt in reliqua vita indicia, quam ut hanc opinionem missam faciamus. Quid igitur statuamus? Supra (c. 14) apparuit Plutarchum rationem sibi constitutam secutum opprobia οὐ πάνυ προθύμως admisisse.

Quod si hoc loco attenderimus, animadvertemus eum, cum intellexisset Aeschinem et Theopompum idem crimini dare atque adeo hunc ex illo suum transscripsisse, et cum Demosthenis or. de cor., quam de rebus circa pugnam Chaeronensem gestis accurate pervestigaverat, veram, Aeschinis invidiae plenam esse perspexisset, hunc cum Theopompo sprevisse Demosthenisque laudem ingenue cecinisse. Quod alia quoque re comprobatur; etenim cum Aesch. a Theopompo prorsus dissentiens § 137 aliisque locis non nisi occasione effectum esse, ut Thebani in societatem cum Atheniensibus coirent, idque orationibus Demosthenis minime impetratum esse dicat, Plutarchus in melius vergens Theopompum, qui de meritis Demosthenis omnino detrahere ausus non erat, secutus est.

Ex Demosthene ipso ad hanc quaestionem dissolvendam nihil proficimus; nam brevissime hic hanc rem perstringit 18, 218: ἵν' εἰδῆτε ἡ ἐμὴ συνέχεια κ. πλάνοι κ. ταλαιπωρίαι κ. τὰ πολλὰ ψηφίσματα, ἃ νῦν οὗτος διέσυρε, τί ἀπειργάσατο.

Quae si recte disputata sunt, vix operae pretium sit refutare, id quod Roesiger p. 44 suspicatur, propter vocem δυναστεύων Duridis, Samiorum illius dynastae, vestigia apparere.

Cap. 19. Non minus futilem opinionem protulit Roesiger p. 45 sq., p. 48, ratus verbis 'τύχη δέ τις δαιμόνιος ἐν περιφορᾷ πραγμάτων' satis apparere Duridis vestigia. At miram illam fortunae divinae opinionem Dem. or. de cor. niti persuasum habeo. Sed qua Demosthenes ratione ad illam opinionem devenerit, quo facilius intelligi possit, altius paulo repetamus.

Atque priore parte eius orationis summa opera, ut adversarium suum proditionis suspectum faciat, nititur; sed quamvis contendat proditorum potissimum opera Philippum consecutum esse, ut Graeciam suae

dicionis faceret, velut § 61, tamen cavet, ne quis illos scelestos solos rempublicam ad exitium vocasse credat. Imo vero posteriore parte orationis, ubi crimen cladis a Philippo, in quem cives concitasset, acceptae a se amovere studet, illius criminationis prorsus oblitus esse videtur ac culpam, quam antea in proditores contulerat, nunc totam in τύχην καὶ δαίμονα demovet; itaque § 192 sic se crimine absolvit: τὸ μὲν γὰρ πέρας, ὡς ἂν ὁ δαίμων βουληθῇ, πάντων γίγνεται. similiter § 194. Sed cum cognovisset se, si fortunae nimium concessisset, in maioris temeritatis crimen incurrere periclitari, cum huic fatali necessitati obsistere conatus esset, explicat, quousque illa fatalis vis ad homines valeat: nam nihili esse fortunam prae honestate et officiis neque maiores sprevisse eos, qui fortuna quadam divina usi fortiter pugnantes mortem occubuissent, neque ipsos se, cum omnium Graecorum libertatem tuituri ad Chaeroneam exissent perverse egisse; neque re vera illos Athenienses adeo vim fortunae respexisse, ut eos qui in pugna cecidissent non summis honoribus sepelirent, sed eiusdem laudis participes fecisse et qui mortem non effugissent et quibus fortuna pepercisset: δικαίως, ὃ μὲν γὰρ ἦν ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἔργον ἅπασι πέπρακται, τῇ τύχῃ δ' ἣν ὁ δαίμων ἔνειμεν ἑκάστοις ταύτῃ κέχρηνται § 208.

Utram Plutarchus expositionem secutus est? Num Aeschinis proditione Graeciam a Philippo devictam esse ullo loco contendit? Quamvis Demostheni faveat eumque ipsum ad res spectans studiose excusserit, tamen exemplum omnium sequitur, qui, quid impetu seu animi fervore irritatus Demosthenes praeter veram condicionem exaggeraverit, ira et studio remotis examinant; itaque nulla iam re impediri nos censeo, quin Plutarcho illa a Demosthene 18, 271 prolata verba propius ad veritatem accedere visa esse statuamus. Etenim absoluta Aeschinis suaeque fortunae comparatione (§ 256—269) sic concludit § 270: βούλομαι δὲ τῶν ἰδίων ἀπαλλαγεὶς ἔτι μικρὰ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν περὶ τῶν κοινῶν —, εἰ δὲ καὶ τῶν μηδεπώποτ' ἰδόντων με μηδὲ φωνὴν ἀκηκοότων ἐμοῦ πολλοὶ πολλὰ κ. δεινὰ πεπόνθασι, μὴ μόνον κατ' ἄνδρα, ἀλλὰ κ. πόλεις ὅλαι κ. ἔθνη, πόσῳ δικαιότερον κ. ἀληθέστερον τὴν ἁπάντων ὡς ἔοικεν ἀνθρώπων τύχην κοινὴν κ. φοράν τινα πραγμάτων χαλεπὴν καὶ οὐχ οἵαν ἔδει τούτων αἰτίαν ἡγεῖσθαι.

Similes voces exstant ap. Dem. 18, 212, 245, 287, 303, 306, 308; ap. Aesch. 3, 115, 133, 155, 158. Nonne inde apparet Plutarchum, qui ipse de fortuna et oraculis singulares libros composuerit, quanti haec ipsius Demosthenis verba aestimanda essent, accurate perspexisse? —

Pythiae vaticinatio, quae deinde sequitur, quin ex Theopompo, oraculorum, si ipsi Plutarcho credendum est (de Pyth. orac. 7), studiosissimo,

profecta sit, dubium non est; praeterea Theop., cum ipsis rebus interesset, auctor praestantissimus est. Neque vero solus Theopompus a Plutarcho ad eam rem adhibitus est, sed ut quae additamenta Plut. Chaeronensis occasione oblata partim ex domestica fama partim memoriter ex aliorum librorum lectione (forsan ex Duride ipso) repetivit, praetermittam[1]), — nam sententiarum nexum Plut. saepe domesticis fabulis perturbavit —

cap. 20 Aeschinem quoque de eadem re inspexisse videtur cum is 3, 130 haud diversa Demosthenem accusans dixerit: ἀλλ' οὐ προὔλεγον, οὐ προεσήμαινον ἡμῖν οἱ θεοὶ φυλάξασθαι, μονονοὐκ ἀνθρώπων φωνὰς προσκτησάμενοι; — Δημοσθένης δὲ ἀντέλεγε, φιλιππίζειν τὴν Πυθίαν φάσκων, κ. τ. λ. quocum conferas Plut. c. 20 init. Δημ. λέγεται — οὔτε χρησμοῖς ἐὰν προσέχειν οὔτε μαντείας ἀκούειν, ἀλλὰ κ. τὴν Πυθίαν ὑπονοεῖν ὡς φιλιππίζουσαν —.

Neque vero Plut. hoc crimini vertit Demostheni, imo eum excusat verbis: μέχρι μὲν οὖν τούτων ἀνὴρ ἦν ἀγαθός.

Contra idem de ignavia Demosthenis, quam iam c. 14 notaverat, cum non solum Demetr. Phal. (c. 14), Aeschinem, Pytheam, sed ut videtur etiam Theopompum consentientes vidisset, eadem referre, quin etiam ipsis adversariorum verbis uti veritus non est. Pytheae opprobrium sine dubio ex stirpe desumptum est, quod collatis eis, quae supra ad c. 14 exposita sunt, apertius fiet.

De pugna videtur Plut. solum Theopompum secutus esse, sed omnia breviter et apte perstrinxit, doctrinam non iactans (Wichers, Theopompi fragm. — p. 258 sqq. et Müller fr. h. Gr. fragm. 262); ceterum verba: ἐν μέρει μικρῷ μιᾶς ἡμέρας in Aesch. 3, 148 nituntur: Φιλίππου — οὐδ' ἀγνοοῦντος ὅτι περὶ τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν ἐν ἡμέρας μικρῷ μέρει διαγωνιεῖται. (cf. infra ad c. 22 de vocabulo φιλανθρώπως.)

De Persarum pecunia, utrum Plut. stirpem an Theopompum adierit, haud facile dictu: stirpem? c. 14, ubi mores Demosthenis recensentur, eadem res breviter commemoratur; Theopompum? c. 20 res gestae depinguntur. Illic igitur morum investigator, hic vere historicus; itaque de Theopompo cogitabimus, qui ipse his rebus interfuerat. Quae si ita sunt, Plut. nixus Demetrio Phal., Theopompo, Aeschine (coll. 3, 157, 173, 209, **239**, 244, **259**) hanc rem Demostheni adversam literis condidit. Demostheni cur his in rebus aures non praebuerit, per se intelligitur; nam is talia aut silentio texit aut paucissimis attigit.

---

[1]) Perspicuum est, quod Duris de origine nominis Θερμώδων explicavit, non ad illud prius oraculum, quod Theopompo tribuendum est, spectare, sed ad alterum ex hoc a Plutarcho c. 19 extr. desumptum.

Contra prior pars cap. 21 tota nititur Dem. or. de cor. § 248—250, 285—286:

Plut. c. 21 init.	Demosth. de cor.
1. τότε δὲ οἱ μὲν ἀντιπολιτευόμενοι ῥήτορες ἐπεμβαίνοντες τῷ Δημ. κατεσκεύαζον εὐθύνας καὶ γραφὰς ἐπ' αὐτόν.	1. καὶ μετὰ ταῦτα συστάντων οἷς ἦν ἐπιμελὲς κακῶς ἐμέ ποιεῖν κ. γραφὰς εὐθύνας, εἰσαγγελίας, πάντα ταῦτ' ἐπαγόντων μοι (§ 249)
2. ὁ δὲ δῆμος οὐ μόνον τούτων ἀπέλυεν,	2. δι' ὑμᾶς κ. τοὺς ἄλλους Ἀθηναίους ἐσωζόμην (§ 249; cf. et § 285).
3. ἀλλὰ κ. τιμῶν διετέλει κ. προκαλούμενος αὖθις ὡς εὔνουν εἰς τὴν πολιτείαν,	3. μετὰ γὰρ τὴν μάχην ἐχειροτόνει (§ 248) ἐψηφίζεσθε τὰ ἄριστά με πράττειν (§ 250; cf. etiam § 286).
4. ὥστε κ. τῶν ὀστέων ἐκ Χαιρωνείας κομισθέντων κ. θαπτομένων τὸν ἐπὶ τοῖς ἀνδράσιν ἔπαινον εἰπεῖν ἀπέδωκεν	4. χειροτονῶν γὰρ ὁ δῆμος τὸν ἐροῦντ' ἐπὶ τοῖς τετελευτηκόσι, παρ' αὐτὰ τὰ συμβάντα — ἐχειροτόνησε ἐμέ § 285.

Locus sequens nos invitat, ut paulum subsistamus: Plutarchus obloquitur Theopompo, qui Atheniensibus maledixerit, quod cladem Chaeronensem animis abiectis tulerint[1]). Cum autem, qui de rebus gestis iudicium fert, complures scriptores comparasse necesse sit, originem verborum: ὁ δῆμος — τῷ τιμᾶν μάλιστα κ. κοσμεῖν τὸν σύμβουλον ἀποδεικνύμενος τὸ μὴ μεταμέλεσθαι τοῖς βεβουλευμένοις c. 21 med. indagare plurimum refert, quod mihi multum hac in re versanti Demosthenemque inprimis volutanti contigisse existimo. Supra enim Plutarchum miram illam fortunae opinionem ex Demosthene adoptasse videri exposui. Indidem ni fallor Plut. sibi arma quaesivit, quibus Athenienses a Theopompo defenderet. Etenim nihil aliud dicit Plut. atque Dem. de cor. § 206—207, qui Athenienses, si suis consiliis morem gessisse poeniteat, ipsos peccavisse, non fortunae iniquitate usos esse, probare studet.

Egregie his verbis docemur Plutarchum Demosthenis orat. de cor. summo studio legisse; cui sententiae et quae subsequuntur documento sunt; nam postquam ex Aeschine, quod is 3, 159 habet: οὐδ' ἐπὶ τὰ ψηφίσματα εἰᾶτε τὸ Δημοσθένους ἐπιγράφειν ὄνομα, ἀλλὰ Ναυσικλεῖ τοῦτο προσετάττετε transscripsit hoc modo: τοῖς δὲ ψηφίσμασιν οὐχ ἑαυτόν, ἀλλ' ἐν μέρει τῶν φίλων ἕκαστον ἐπέγραφεν (Nausiclem Demostheni amicissimum fuisse notum est), Demosthenis verborum memor hanc causam addit: ἐξοιωνιζόμενος τὸν ἴδιον δαίμονα κ. τὴν τύχην.

---

[1]) Vocem τραγῳδεῖ ipsius Plutarchi esse apparet ex Pericl. 28 et Artax 18.

Ceterum cum etiam Aesch. 3, 158 similiter dicat: τὸν δαίμονα κ. τὴν τύχην τὴν συμπαρακολουθοῦσαν τῷ ἀνθρώπῳ φυλάξασθαι — fieri potest, ut utriusque verba Plutarcho haec referenti ob oculos versata sint. Ac ne quis dubitet, an Plut. adeo operam dedisse videatur, ut ex Dem. et Aesch. orationibus tam multa congereret, animadvertendum est plurima eorum, quae Plut. his orationibus excussis praebet, nisi ex utriusque oratoris orationibus nobis nota non esse; quo efficitur Plutarcho, ut reliquis ex fontibus quicquam eliceret, non contigisse. Sed hoc quoque tenendum est eum nisi iusta causa de eis fontibus, qui largiorem materiam praebuerunt, non declinavisse.

Itaque etiam c a p. 22 notis auctoribus denuo occurrimus. Nam primum quidem Aeschinis or. 3 § 77—78 atque § 160 excussit; ceterum nonnulla ita immutata sunt, ut Schäfer l. m. III 81 annot. 2 animadverteret eam narrationem alio ex fonte prodisse videri, quamquam Plut. non ita diversa traderet. Sed nobis quidem, si, quod modo disputatum est, reputaverimus, de alio fonte cogitare opus non erit; nam praeter verba στεφανοῦν ἐψηφίσαντο Παυσανίαν quae alius cuiusdam, fortasse Theopompi ex scriptis repetita sunt, nihil eis, quae Aesch. habet, absonum est.

Plut. c. 22 init..	Aesch. c. Ctes.
1. Ἔγνω μὲν οὖν κρύφα τὴν τοῦ Φ. τελευτὴν ὁ Δ., προκαταλαμβάνων δὲ τὸ θαρρεῖν ἐπὶ τὰ μέλλοντα τοὺς Ἀθηναίους προῆλθε φαιδρὸς εἰς τὴν βουλήν, ὡς ὄναρ ἑωρακώς, ἀφ' οὗ τι μέγα προσδοκᾶν Ἀθηναίοις ἀγαθόν·	1. 3, 77: Δ. πρῶτος διὰ τῶν κατασκόπων, τῶν παρὰ Χαριδήμου, πυθόμενος τὴν Φ. τελευτήν, τῶν μὲν θεῶν συμπλάσας ἑαυτῷ ἐνύπνιον κατεψεύσατο, ὡς οὐ παρὰ Χαριδήμου τὸ πρᾶγμα πεπυσμένος, ἀλλὰ παρὰ τοῦ Διὸς κ. τῆς Ἀθηνᾶς, οὓς μεθ' ἡμέραν ἐπιορκῶν νύκτωρ φησὶν ἑαυτῷ διαλέγεσθαι κ. τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι προλέγειν.
2. καὶ μετ' οὐ πολὺ παρῆσαν οἱ τὸν Φ. θάνατον ἀπαγγέλλοντες· εὐθὺς οὖν ἔθυον εὐαγγέλια κ. στεφανοῦν ἐψηφίσαντο Παυσανίαν.	2. 3, 160: ἐπειδὴ δ' ἐτελεύτησε Φ. Ἀλέξ. δ' εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστη, πάλιν αὐτὸς τερατευόμενος, ἱερὰ μὲν ἱδρύσατο Παυσανίου, εἰς αἰτίαν δὲ εὐαγγελίων θυσίας τὴν βουλὴν κατέστησε ποιῆσαι
3. κ. προῆλθεν ὁ Δ. ἔχων λαμπρὸν ἱμάτιον ἐστεφανωμένος, ἑβδόμην ἡμέραν τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ τεθνηκυίας, ὡς ὁ Αἰσχ. φησὶ λοιδορῶν ἐπὶ τούτῳ καὶ κατηγορῶν αὐτοῦ μισοτεκνίαν	3. 3, 77: ἑβδόμην δ' ἡμέραν τῆς θυγατρὸς αὐτῷ τετελευτηκυίας, πρὶν πενθῆσαι — λευκὴν ἐσθῆτα λαβὼν ἐβουθύτει — § 78: ὁ μισότεκνος

Provocatus extremis conviciis ab Aeschine in Demosthenem propter μισοτεχνίαν coniectis Plutarchus, cui de moribus philosophari in summis deliciis fuit, illum allatis multis et argumentis et rebus refutat. Atque et argumenta et res — id quod firmissimo nostrae sententiae fundamento est — ex Demosthene et Aeschine mutuatus est, quibusdam argumentis, ut facile est intellectu, ex ipsius ingenio et animo additis. Etenim cum eis, quae leguntur in Aesch. 3, 57: καὶ τοὺς φιλανθρώπως κ. μετρίως τοῖς τῆς πόλεως πράγμασι χρησαμένους (Philippum et Alexandrum) et in Dem. 18, 231: τῆς φιλανθρωπίας, ἣν τὰ λοιπὰ τῶν πραγμάτων ἐκεῖνος περιβαλλόμενος ἐπλάττετο congruunt Plutarchea: βασιλέως ἡμέρως οὕτω κ. φιλανθρώπως ἐν οἷς ηὐτύχησε χρησαμένου πταίσασιν αὐτοῖς; quibuscum et Polybiana V 10 comparanda sunt, quae, si secundum Theopompum scripta sunt, quod Wichersio l. m. et cum eo C. Muellero I 323 placuit, Plutarchum tertio teste nixum satis causae habuisse, cur hoc perhiberet, testimonio sunt.

Postea — quod ipsum accurate animadvertendum esse censeo — Demosthenico argumento tam perspicue utitur, ut pro certissimo iam statuendum sit eum huius orationem de corona compositam studiosissime legisse et perscrutatum esse. An, quae Dem. 18, 287 verbis: εἶτα καὶ προσήκειν ὑπολαμβάνοντες — μηδὲ τῇ φωνῇ δακρύειν ὑποκρινόμενον τὴν ἐκείνων τύχην, ἀλλὰ τῇ ψυχῇ συναλγεῖν boni civis esse contendit, contraria sunt et non respondent Plutarcheis τίθεμαι ἀνδρώδους ψυχῆς — πρὸς τὴν ὑπόθεσιν?

Cap. 23. Hoc quoque capite Plut. ad Aeschinem spectasse consentaneum est; nam bis cum eo congruit:

Plut. c. 23:	Aesch. 3, 160:
1. παῖδα κ. Μαργίτην ἀποκαλῶν αὐτόν (Alexandrum)	1. ἐπωνυμίαν δ' Ἀλεξάνδρῳ Μαργίτην ἐτίθετο
2. — ὁ Δημ. αἱρεθεὶς μεθ' ἑτέρων πρεσβευτὴς πρὸς Ἀλέξανδρον, δείσας δὲ τὴν ὀργὴν ἐκ τοῦ Κιθαιρῶνος ἀνεχώρησεν ὀπίσω κ. τὴν πρεσβείαν ἀφῆκεν	2. Aesch. 3, 161: ἐπειδὴ περὶ Θήβας ἦν τὸ στρατόπεδον πρεσβευτὴς ὑφ' ὑμῶν χειροτονηθεὶς ἀποδρὰς ἐκ μέσου τοῦ Κιθαιρῶνος ἧκεν ὑποστρέψας.

Haec omnia ex eodem loco, unde ea quae c. 22 ex Aeschine repetiverat, desumpsit.

At fierine potuit, ut Plut. haec ita augeret et adornaret, ut nunc exstant? Minime. Quis autem ei haec supplementa praebuit, vel potius, quos scriptores Plut. de rebus inde a Philippi morte gestis excussit? Equidem nescio. Theopompi enim Philippica non ultra deducta erant et, quamquam duobus fragmentis eum nonnullas res post annum 324 gestas

libris suis intexuisse cognoscimus, eum, nisi ut quasdam materias apte concluderet, de rebus posterioribus egisse consentaneum non est.

Neque ex Diodoro, qui 17, 4 sqq. simillima tradit ac Plut. in cap. 23, quaestioni lux affluit, cum hucusque hominibus doctis, ut, quibus scriptoribus ille liber nixus esset, aperirent nondum contigerit.

Ceterum verisimile est Plutarchum plurimas res cum huius tum insequentium capitum universum rerum gestarum tenorem respicientes eisdem, quos ad Alexandri vitam excussit, auctoribus debere. At homines docti de ea quoque re dissentiunt. Nam Schoene quidem l. m. unum vel duos scriptores post a. 200 a. Chr. florentes Plutarcho usui fuisse probavit. Aliis plures scriptores adhibiti esse videntur. Quod utcunque se habet, dubium non est, quin Plutarchus, si quidem Idomeneus et Duris, quos c. 23 diserte affert, cum celeberrimis rerum scriptoribus non ab eo ipso, sed ab aliquo scriptore aetate his paulo inferiore collati sunt, ut in Alexandri ita etiam in Demosthenis vita aliquo fonte usus sit, qui diversas de Alexandri M. gestis memorias ita referret, ut singulis narrationibus nomina auctorum adiceret.

Num Aristobulum quoque, quem subinde nominat, in his 'celeberrimis scriptoribus' numeravit? Muellero quidem (scr. rer. Alex. M. p. 96) id dubium fuit. Itaque maxime dolendum est, quod Plutarchus nomina reliquorum eorundemque praestantissimorum scriptorum omisit, quamquam haud dubie in fonte exstabant, si quid ex Plut. Alex. c. 46 colligere licet, ubi de Amazonibus cum Alexandro convenientibus non minus quattuordecim testes coactos videmus. Sed tamen verisimile est Aristobulum illis adnumerandum esse; fuit enim fide dignissimus ac vix facere potuit, quin, cum de demagogis expostulatis exponeret, hos oratores nominaret. Accedit quod accurate cognovimus (ex Plut. Moral. p. 1093d, non posse suav. viv. c. 10) Aristobulum, forsan in transcursu, res ad Thebas ab Alex. M. captas pertinentes rerum in Asia gestarum memoriae inseruisse.

Ceterum, utcunque haec se habent, non multum interest eum fontem, cui nisi fallor Plut. Aristobuli quoque relationem debuit, novisse. Nam omnes res, si non ad Demosthenis πολιτείαν valent, brevissime perstrictas esse videmus, velut Alexandri expeditionem Asiaticam, Agidis tumultum, Alexandri mortem, Leosthenis virtutem, alia id genus. Quid quod fortasse Plut. plurima ex ludi disciplina memoria tenuit. Neque haec brevitas mira est; nam Demosthenis in republica auctoritas prorsus evanuerat, quod ipse Plut. c. 24 docet. Contra quaedam res, ut causa Harpalica, fuga et reditus

Demosthenis, eius damnatio et mors ad illustrandos mores vel potius vitia Demosthenis late fuseque exaggerantur, penuria scilicet rerum in civitate regenda praeclare gestarum. Itaque non solum stirpem, in qua de moribus diligenter expositum esse scimus, ad verbum fere excussit, sed etiam data occasione ex aliorum scriptorum lectione nonnulla his adiecit.

Quod quousque pertineat, nunc, quantum possum, explicaturus sum.

Cap. 24 priorem partem eidem, qui res Alexandri recensuit, fonti tribuo.

Deinde, quae de oratione de corona traduntur, in eius orationis margine magna ex parte exstitisse puto. De Dionysio Halic. vel Caecilio Cal. cogitare non cogimur, cum spatium decem annorum, quod Plut. intercessisse tradit, antequam causa in iudicium deduceretur, ex scriptore aetate superiore repetitum esse eo, quod iam Cicero eam computationem exhibet (de opt. gen. or. 7, 22), comprobetur. Quin etiam hac futili temporis computatione ab his viris subtilissimo iudicio praeditis avertimur. At in stirpe multo ante Ciceronem composita hoc exstitisse equidem non repugno, si modo ille locus excipiatur, quo Plut. ex spurio illo, quod etiamnunc § 54 sq. or. de cor. legitur, plebiscito Chaerondae archontis nomen in librum recepit.

Cap. 25 et 26 init. continentur famosa illa Harpalica. Harpalus sine dubio ab omnibus rerum Alexandri scriptoribus valde celebrabatur; nam Plut. in Alex. vita de eo saepe et multa disseruit (c. 10, 22, 35, 41), et in vitas Pseudoplutarcheas irrepsit eius mentio, ubicunque locus dabatur (p. 846a sq., 848f, 850c). In Demosthenis vita apparet Plutarchum et scriptoribus rerum Alexandri M. et stirpis narratiunculis et Theopompo niti. Sed certis finibus definire, quid illinc, quid hinc assumpserit, perquam difficile est; nam quis certi quicquam statuere studeat, quin, cum fontes non satis succurrant, harioletur? Itaque nonnulla animadversione digna afferre sufficiat.

C. 25 init. voce ἐποφθαλμιάσαντες ad Hyperidis orationes perducimur; nam Pollux 2, 62 (Hyperid. fragm. 258 ed. Blass) docet hoc: καὶ ἐποφθαλμιᾶν τὸ ἐπιθυμεῖν τινος, καὶ ὠφθαλμίασε τὸ ἐπεθύμησεν Ὑπερείδης. Neminem fugit hoc in Hyp. or. adv. Demosth. scriptum fuisse, cuius orationis alia quoque patent vestigia, si modo contuleris fragm. 12 Blass p. 16 v. 13 sqq. cum eo, quod Plutarchus c. 25 s. m. et c. 26 in. refert; atque verisimile est in stirpe omnia ad hanc rem spectantia cum ex oratione modo commemorata tum ex aliis scriptoribus, plerumque fabularum sectatoribus, collata fuisse; velut, quod de poculo narratur, ex Lynceo, Duridis fratre,

qui secundum Ath. 6 p. 245 F (Mueller fr. h. Gr. II 466), in libro 'Ἀποφθέγματα inscripto maximamque partem ad convivalia pertinente eius rei mentionem fecerat, in stirpem transisse videtur.

Alia res sane non minimam movet mirationem. Quod enim Plut. c. 25 s. m. tradit: καὶ μεθ' ἡμέραν — τὸν δημαγωγόν — a Gellio 11, 9 Critolai peripatetici auctoritate freto non de causa Harpalica, sed de legatione quadam Milesia, quae auxilii petendi causa Athenas venisset, memoriae proditur:

'Demosthenes enim cum primo Milesiorum postulatis acriter respondisset, neque Milesios dignos neque ex republica id esse contendisset, re in posterum diem prolata interea pecunia corruptum postridie, cum res denuo agi coepta esset, lana multa collum cervicesque circumvolutum ad populum prodisse et dixisse se synanchen pati, eo contra Milesios loqui non quire. Tum e populo unum exclamasse non 'synanchen', quod Dem. pateretur, sed 'argyranchen' esse'.

Quomodo tanta diversitas explicanda est? Equidem nihil contendo; neque vero omittere possum alios quoque viros doctos[1]) animadvertisse Plutarchum libero arbitrio interdum res transposuisse sive complures res in unam imaginem contexuisse, quo magis ad animos delectandos efficaces essent, conscium sibi, ut mihi videtur, illius, quod auctor ad Herenn. III 23 statuit: 'narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio'.

Denique de loco ex Theopompo allato (c. 25 extr.) pauca dicenda sunt; quem ut recte interpretemur ad c. 14 redeundum est.

Etenim cum Theopompus historiam non ultra annum 336 deduxerit, neque ullum indicium exstet eum singulatim de Harpali rebus exposuisse — nam praeter notitiam ζήτησιν ἐποιοῦντο νεανικὴν κ. τ. λ. nihil eius auctoritati vindicari potest —, consentaneum est eum aliquo loco historiae aliquantum, ut solebat, digressum esse. Et comprobatur haec suspicio eo, quod c. 14 extr. legimus: Demosthenem nequaquam curantem indignationem plebis Antiphontem a populo absolutum in Areopagum pertraxisse.

Verisimile enim est Theopompum illo loco memoriam antiquae civium Atheniensium libertatis revocasse, quam rarissime quis inaudita audacia sprevisset, velut Demosthenes, cum Antiphontem reum ipse deduceret, et magistratus, cum timore Alexandri perturbati oratorum domus pervestigarent?

[1]) B. Büchsenschütz, Xenophons Hellenika u. Plutarchos, N. Jahrb. f. Philol. 1871 p. 237, 254, 261—264. Clason, Plut. u. Tac., Berlin 1870 p. 38 et 50.

De fuga (cap. 26) Plut. sine dubio stirpem consuluit. Ceterum hic quoque aliquid animadvertendum est. Nam quod Plut. tradit 'Demosthenem fugientem quosdam cives insecutos esse et, cum abscondere se vellet, nominatim eum vocantes oravisse, ut viatica a se acciperet et bono animo esset, quo audito illum vehementius illacrimantem exclamasse: Ego vero non graviter doleam, quod ea urbe cogor excedere, in qua tales habeo inimicos, quales amicos alibi haud facile invenero!' similiter a Psplut. 845e de Aeschine ex urbe profugiente narratur.

Caput 27 praeter Phylarchi et Demetrii Magn. notitias ex eadem stirpe translatum esse existimo.

Quod Plut. ex Phylarcho, quem diserte nominat, refert, ad huius scribendi genus quadrat, nam κατὰ παρέκβασιν, ut Theopompus, Duris, plerique illorum temporum rerum scriptores multas lepidas fabulas libro Ἱστορίαι inscripto, quibus res ab a. 272 usque ad a. 220 a. Chr. n. fuse et vividis coloribus conscriptae erant, immiscuerat. Fabulam Plut. ipse sine dubio ex Phylarcho sumptam huic loco occasione oblata inseruit. Nam constat eum hunc ad Pyrrhi, Agidis, Cleomenis, Arati vitas cognoscendas diligentissime adhibuisse.

Item Demetrii Magnetis narratiunculam verbis ὅτε καί φησιν adiectam, quod occasio data erat, fortasse ex eius libro περὶ ὁμονοίας inscripto in vitam intrusam esse iam supra p. 9 dixi.

Cap. 28—31 in stirpe niti supra disserui (p. 16 sqq.). Atque c. 28 prior pars fere tota ex Philochoro (cf. p. 34), reliqua per Hermippum ex Demetrio Phal., forsitan etiam ex aliis, c. 29 ex Aristone[1]), c. 30 ex Hermippi auctoritate, qui ipse quidem in (Pappo?), Philochoro (cf. p. 34). Demochare, aliis nititur, atque ex Eratosthene per stirpis auctorem a Plutarcho translata sunt[2]). Capitis 31 prior pars a Plutarcho ex memoria. altera pars ex stirpe repetita est; ultima verba Plutarchus composuit.

Haec quidem hactenus. Superest ut primum complectar, quos fontes Plut. adhibuisse videatur, postremo de huius vitae fide concludam.

---

[1]) Droysen, Gesch. des Hellenismus II 82 (novissima editio 1878), tribuit hanc relationem Duridi, Roesigeri, ut videtur, deceptus audacia; adeo iam grassabatur malum. At quis patet Duridi locus inde a cap. 17 usque ad libelli finem?

[2]) Plutarchum extremis huius cap. verbis Demetrii Magnetis futilem opinionem corripere veri dissimile non est; id solum tenendum est, inde colligere non licere. Plutarchum hunc fusius contulisse (contra Roesig. p. 37).

Itaque ut fontes brevi comprehendam,

I. ex stirpe quadam a Satyro, ut videtur, composita magnam partem collegit eorum, quae de educatione, eruditione, vi oratoria, plebis studiis, moribus exhibet. Sed cum stirpis auctor res gestas obiter tantum attigisset neque, nisi ad mores aperiendos valuerunt, diligentius idque fabularum potissimum coacervata copia eas respexisset, velut de causa Harpalica et iis rebus, quae mortem anteierunt, — Plutarchus, quamvis et ipse magis ex dictis et iocis et narratiunculis quam ex rebus domi militiaeque gestis mores et virtutes cognoscere soleret (cf. vit. Alex. c. 1), tamen, cum a se impetrare non posset, ut munera publica prorsus neglegeret, atque ab eius ingenio abhorreret suo ipsius iudicio supersedere, alios praeter illam stirpem fontes adire coactus est. Itaque

II. Demosthenis orationes
  a. contra Aphobum primam (c. 4 et 6)
  b. contra Midiam (c. 1. 6, 12, 14)
  c. de corona (c. 9, 12, 14, [15], 17, 18, 19, 21, 22, 24)

III. Aeschinis orationes
  a. contra Ctesiphontem (c. 4, 6, 12, 14, [15], 18, 20—23)
  b. de falsa legatione (c. 4 et 16)

diligenter perscrutatus est.

Sed cum saepe dubitaret, utri eorum magis crederet, et de pugna Chaeronensi aliisque rebus ad totam rempublicam pertinentibus parum compertum haberet,

IV. Theopompum, cui et aliis in vitis componendis permulta debuit, crebro insuper contulit (c. 4, 13, 14, 16?, 18—21, 25).

V. Praeter hos posteriorem quendam rerum ab Alexandro gestarum scriptorem secutus est (c. 23—27); nam Theopompus ultra annum 336 non descenderat.

VI. Caecilii Calactini σύγκρισιν τοῦ Δημοσθένους κ. Κικέρωνος (c. 3) consuluit (c. 15, c. 24?).

VII. VIII. IX. X. ex Panaetio c. 13, Duride c. 19, Demetrio Magnete c. 27, 30?, Phylarcho c. 27 singulas res, quas ei vel ratio vel fors obiecerat, libro intexuit.

XI. Postremo etiam famae morem gessit, quod ita sese habere, etiamsi non ipse c. 31 extr. voce διηκούσαμεν moneret, ex verbis c. 19: τὸν δὲ Θερμώδοντά φασιν παρ' ἡμῖν ἐν Χαιρωνείᾳ — satis bene perspiceremus. —

Apparet igitur Plutarchum et fontibus singularibus (I—VI) et ἀποφθεγμάτων collectionibus (VII—X) usum esse. —

Haec postquam exposuimus, quae fides huic vitae insit, breviter adumbremus.

Plutarchus tam magno desiderio pristinae Graecorum gloriae accensus erat, ut in deliciis haberet celeberrimorum virorum imagines depingere et tamquam exempla posteritati reservare. Itaque cum iudicium ad honestatis magis quam ad artis rationes redigeret, semper, quicquid opprobrio eorum, quos celebrabat, dictum erat, οὐ πάνυ προθύμως i. e. iudicio adhibito et collatis pluribus iisque probatis testibus recepit. Itaque non modo in Theopompi et Aeschinis severiora iudicia pugnavit, sed etiam Idomenei bilem prorsus respuit, plurimaque testimonia collegit, quibus sibi persuaderet Demosthenem corruptum et in pugna parum fortem fuisse. Quid quod c. 31 periclitatur eum etiam a corruptelae suspicione purgare fabulam addens prorsus inanem; eodem capite praedicat fatum, quod Demosthenis necem ultum sit. Ut alia huius benevolentiae signa mittamus, apparet iam satis Abbing (ap. Volkmann, Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch, Berlin 1873, II 340) non leviter iudicasse cum diceret, Plutarchi in historia veri studio inter alia maxime obfuisse summam ipsius humanitatem.

Deinde, quamquam nullam eruditionis ostentationem animadvertere possis, peccavit Pl. in eo, quod, animos ut quam maxime moveret et delectaret, nonnunquam res transponebat, temporum ordinem turbabat atque adeo res traditas suo arbitrio interpretabatur.

Nam verisimile est eum cap. 5, ubi narrat, quomodo Demosthenes Callistrati audiendi occasionem nanctus sit, ita Hermippi vestigiis institisse, ut, quam narrationem hic adoptaverat, desereret et, quo colores vividiores fierent, alius scriptoris narrationem ab Hermippo commemoratam sequeretur. — Similia de causa Harpalica atque de fuga animadvertimus. Cap. 16 de Demosthenis legatione in liquidum perduci nequit, utrum Aeschinis cavillationes ipse summa audacia in contrarium immutaverit, an memoria lapsus sit, an apud Theopompum vel in stirpe diversa invenerit.

Denique plane alia ac stirpis auctores utebatur ratione. Nam, quamvis vehementer vita umbratili delectaretur, non adeo otio abundavit, ut ad exemplum Peripateticorum et aliorum doctorum Alexandrinorum omnes ad unum scriptores de unaquaque vel minutissima re adiret, sed satis habere coactus est unum vel duos largiores fontes universe secutus flosculos undique decerptos suo quemque loco vitis inserere. Itaque Demosthenis or. de cor., quam inde a c. 17 singulariter sequi coeperat, tum demum deseruit, cum vidisset

nihil se ex ea amplius proficere posse, Theopompoque et Aeschini se quam maxime adiunxit, cum ab eis allectus esset, nihil curans Philochori aliorumque aequalium vel subaequalium rerum scriptorum historias.

Inde etiam illa neglegentiae indicia (c. 4 de educatione, c. 17 de Theophrasti nomine, c. 17 de bello Amphissensi) originem ducunt.

Nihilominus Plutarcho gratias habere debemus, quod tam multarum tamque illustrium rerum memoriam condidit. Nam Peripateticorum opera temporum invidia interierunt et, quamquam multa ex iis fragmenta sedulitate Pseudoplutarchi, Photi, Athenaei, Suidae, reliquorum hominum antiquitatis studiosorum aetatem tulerunt, tamen saepe, opinor, dubii haereremus et rerum nobilissimarum ignari essemus, nisi Plutarchus haec magna pietatis suae erga maiores exstruxisset monumenta.